



SALVE
DE RE
METAL
















DE RE METALLICA, HOC EST, DE ORIGINE,


Varietate, & Natura Corporum Metallicorum, Lapidum, Gemmarum, atq; aliarum, quæ ex fodinis eruuntur, rerum, ad Medicinæ usum deseruientium,

LIBRI III.

Autore

CHRISTOPHORO Encelio Salueldensi.

Cum priuilegio Imper.



FRANC. Apud Chr. Egenolphum.

in Scr.

CHRI
NOLPH
diano,



menstu
medioc
ornand
Metall
uaricia
stopho
cum ur
fsimo
suo ali
phica
mus q

CHRISTIANO EGENOLPHO CIVI FRANCOFORdiano, *Amico suo, Philippus Melanthon Salutem Dicit.*



ONESTISSIME uir et amice charissime, Etsi dissimilitudo est artificum, ut Iurisconsulti dicunt: tamen studia inquirentium naturam mediocri diligentia iuuanda & ornanda sunt. Scripsit autem de Metallis & eorum generatione et uarietate quidã Salueldensis, Christophorus Encelius, non ut certet cum uiro doctissimo & ingeniosissimo Georgio Agricola, sed ut suo aliquo labore studia philosophica adiuuet. Id opus edi optamus. quare te ualde oro, ut uel tuis

typis excudas, uel consilium editio nis adiuues. Opinor sine detrimen to excudi posse: cùm multi hæc physica libenter legant: & diligentia huius Christophori sit singularis. Multa certè deprehendit, quæ nusquam apud alios leguntur. Quare te etiam atque etiam oro, ut hanc editionem adiuues. Benè Vale. Die 19. Augusti.

Anno 1551.

INDEX

INDEX RERVM & uerborum, quæ hoc opere traduntur.

A.

Chryso-

Lacer=

Salis

Terræ

INDEX GERMAnicarum Dictionum huius operis.

Calpu

Kupffer

Schwefel

FINIS.

CHRISTO.



CHRISTOPHORI ENCELII SALVELDENsis de re Metallica Liber Primus.

DE ORIGINE METALLOrum, Caput I.



RINCIPIA *generationis ueluti Deus Opt. Max. omnium animalium, constituit marem & fœminã; materiam autem fœtus, iuncta semina uiri & mulieris; & ita ut alterũ sine altero nihil aut id quod caducũ esset, efficeret: deinde, ut semen uiri craßius & calidius ageret inprimis; & quasi principium motus, formam fœtui; econtra mulieris semen humidius et frigidius, nutrimentũ uirilis seminis, patiens, corpus & materiã eidem præberet. Tali modo Deus in rebus etiam metallicis constituit generationis principia, marem & fœminã: & uoluit materiam esse omnium metallorum, sulphur, ut patrem; & argentũ uiuum, ut matrem; quorum nempe coitu omnia fierent metalla. Et ex his omnia corpora metallica sunt composita. ex his inquam puris, siue impuris, tanquam ex patre & matre, me-*

talla constant. solum argentum uiuum mater, solum sulphur pater, nihil generant: aut si quid generant, est caducum, est quasi mola; aut ueluti sunt oua illa hypneumia, uel zephyrina, gallinarum. Deus, aut natura, super hæc duo coniuncta, scilicet super sulphur & argentum uiuum, licet durißimæ sint compositionis & resolutionis, suam actionem fudit, & ex his metalla procreat, inspissatione humidi, per exhalationem subtilißimarum, & conseruationem grossarum partium: deinde mixtione sicci terrei, et humidi uiscosi; ut ita fiat substantia temperata in uisceribus terræ, quasi fœtus in matrice; idq; multis seculis. Etsi autem ex his duobus principijs, sulphure & argento uiuo, quasi patre & matre, coëuntibus, omnia metalla procreantur; quorum multæ sunt species, & diuersæ: natura tamen semper proponit & contendit ad perfectißimum metallum, scilicet aurum. Accidentia uerò diuersa superuenientia, diuersa transformant metalla: & secundum puritatem & impuritatem sulphuris & argenti uiui, pura & impura generantur metalla; ueluti ex leprosis parentibus, leprosi procreantur filij. Res quæ perficit aut corrumpit in metallis, est substantia argenti uiui & sulphuris. Primùm igitur substantia argenti uiui & sulphuris proportionabiliter commixta per longam & temperatam decoctionem in uisceribus terræ mundæ (ueluti fœtus in ma

trice,

trice, in secundis, uel χωρίῳ illo, ut uocant) rectè inspissata & fixa, cum humore radicali non corrumpente, producta ad solidum, fusibile, & extensibile, fit aurum, quasi filius, & perfectißimum metallum naturæ: & paululum immutata commixtione argenti uiui, fit argentum, quasi filia, ignobilior fratre auro, ut paulo pòst dicemus. Econtra substantia impura argenti uiui & sulphuris, sine proportione commixta, & minus decocta in uisceribus terræ mundæ, nec rectè inspissata, & fixa, humiditate radicali combustibili, seu corrupto, non patiente ignitionem (ut ita dicam) debitam, nec malleum, fit aut stannum, aut plumbum, aut cuprum, aut ferrum: & hi sunt effectus talium principiorum, sulphuris & argenti uiui, perfecti & imperfecti. & tot fuerunt numero ueteribus corpora metallica, scilicet aurum, argentum, stannum, plumbum, cuprum, ferrum. iam plura habemus: ut sunt, Bwisemut tum, & alia; de quibus suo loco agemus. Habent autem hæc metallica maximam adfinitatem inter se, utpote ab ijsdem principijs orta.

Hæc breuiter de principijs naturalibus in opere naturæ metallorum præfari uolui. Fuerunt tamen, qui negarunt principia metallorum esse argentum uiuum, & sulphur: sed principia dixerunt esse metallorũ, argentum uiuum alteratum, & conuersum in terram suam, & sulphur mutatũ in terram suam:

quia olim talia, scilicet argentum uiuum & sulphur in natura sua non reperiri dicebantur in fodinis. Sed hi maximè errant. nam reperiuntur in nostris fodinis in natura sua tum argentũ uiuum, tum sulphur, uerè metallorum principia.

Chimistæ, ut planè more consueto occultè talia docerent principia, dixere principia metallorũ esse spiritum fœtentem, & aquam uiuam uel siccam. Circa autem perfectionem & imperfectionem (uolumus enim & hoc addere) corporum metallicorum, uersatur uera & tota χημία. uera dico χημία, non illa nostra nostrorum chimistarum, quæ furari & mentiri docet. Nam illa imperfecta metalla, stannum, plumbum, æs, ferrum, chimistæ reducere per contrarium nituntur ad perfectionem, præparatione quadam qua demunt superflua, & absentia adimplent in hisce corporibus imperfectis. Hinc est ille lapis philosophorum chimistarum, uel quem honorant philosophi (sic enim loquuntur) ad album & ad rubrum: ex quo lapide fit elixie, id est fermentum, aqua scilicet illa coniuncta corpori, quando corpus soluitur in spiritum, id est in aquam mineralem, ex qua factum est ab initio, si ad album est argentum uiuum quod habet in se corpus quod stat, animam quæ uiuificat, spiritum qui tingit, & causat metalla essentialiter. Si uerò ad rubrum est sulphur, non illud adurens, sed uiuum, simplex, calidum, &

dum, & ſiccum, ex puriſsima ſiccitate terreſtri conſtans: quod elementum eſt metallorum, & cauſa accidentalis, & non eſſentialis, ut argentum uiuum. matris enim eſt, corpus & materiam præbere; patris, formam. Et hic eſt ille lapis chimiſtarum, non lapis, nec de natura lapidis (ut cum illis loquar) cuius caput & origo eſt in terra, & radices in aëre pendent, id eſt ex influentia cœleſti, unde omnium metallorum capita in terra, & radices in aëre pendent. hæ ſunt inſuper illæ roſæ albæ & rubeæ chimiſtarum in roſario, circa quas uerſantur. In ſumma, tota ars illa chimiſtica uerſatur circa perfectionem & imperfectionem metallorum, & nititur naturam imitari, quam tamen non poteſt in omnibus differentijs proprietatum actionis imitari: id quod tamen maximè facere nituntur chimiſtæ noſtri, ridiculi, mendaces, & fures; qui dum longiſsimè à ſcopo, qui ab Arabibus præſcriptus eſt, aberrant, neq; Græcorum ueſtigia ſequuntur, ſed nugis & deceptionibus iuniorum credunt, meritò deridentur ab omnibus. & utinam omnes illi ſaponarij ſuſpenderentur, qui artem χημίαν ita deprauant, & malè audire faciunt.

OMNIA metallica conſtant ex ſulphure, patre; & argento uiuo, matre.

Corpora mineralia ſpecialiter diuidūtur in duas partes, ſcilicet in maiora & media.

Mineralia maiora quæ uocant, mineralia corpora maiora, seu corpora metallica, habentq; originem ex sulphure & argento uiuo, secundum maius & minus depurato. & differunt adinuicem secundum quod illis insit argentũ uiuum & sulphur. Sunt autem hæc metallica corpora ductibilia & liquabilia omnia. nam originem ducunt ex argento uiuo. & materia illorum est substantia mixta aqua, cum substantia terræ, commixtione forti, ita ut non poßit unum ab altero separari. Suntq; illa metallica corpora aut perfecta, ut aurum, & ferè argentum: aut imperfecta, ut stannum, plumbum, Wisemutum, æs, seu cuprum, ferrum. De his cum alijs ad hæc pertinentibus, agemus in hoc primo libro.

Mineralia media seu remota, quæ corpora metallica propriè non sunt, utpote quæ ex argento uiuo & sulphure admodum debilis naturæ originem ducunt, aut quasi ex argento solo aut sulphure constant, ueluti oua subuẽtanea, aut molæ, ceu sunt: 1. sal armoniacum, 2. arsenicum, 3. auripigmentũ, 4. sulphur adurens. & hæc quatuor dicuntur spiritus corporum, seu metallorum. tingunt enim corpora in rubeum, uel album. Dicuntur autem spiritus, seu fumi etiam, quia soluuntur igne in spiritus & aërem. 5. atramenta, chalcitis, marchasita: 6. uitriolum: 7. alumina, & sales reliqui. & hæc dicuntur adiuuantia spiritus. De his cum alijs ad hæc pertinentibus,

bus,

bus, agemus in ſecundo libro. Spiritibus autem contraria ſunt fluores, qui igne ſoluuntur in aquas. de quibus in tertio agemus. Porrò ex ſpiritibus quædam liquefiunt faciliter humido; ut ſunt alumina, calchantum, ſal ſimplex, ſal ammoniacum, ſal petræ lapidis, & omnia genera ſalium: de quibus infrà ſuo loco. Quædam ſunt unctuoſa, neque liquefiunt faciliter ſolo humore; ut ſunt ſulphur, arſenicum, auripigmentum, &c. Quædam etiam ex his compoſita ſunt; ut ſunt atramenta, quæ ſunt compoſita ex ſale, ex ſulphure, & lapidibus. In his creditur eſſe uis mineralis aliquorum liquabilium, quæ ex eis fiunt; ut ſunt calchantum, & calcatar, quæ generantur ex maioribus grauis atramenti, & non ſoluuntur, niſi ſoluatur ſalſedo cum illis, quæ eſt in ipſo frigore: & iſtud iam accipit uim mineralem ab aliquibus corporibus naturaliter in terra. Quod accipit uim ferream, erit rubeum, uel terreum, uel calcatar, id eſt, chalcitis: quod autem accipit uim æream, erit uiride æris, & calchantum.

Quidam breuiter corpora metallica diuidunt in
- 1. lapides
- 2. liquefactiua
- 3. sulphura
- 4. sales.

Quædam autem horum sunt substantiæ
- raræ, debilis compositionis
- fortis, duræ compositionis.

Quædam sunt
- ductilia
- non ductilia.

Sunt autem circa quodlibet metallum, diligentissimè obseruanda, coitus sulphuris & argenti uiui: item conceptio, prægnatio, ortus, & nutrimentum: postremò quando liquefiunt calore mediante, in quantum referant primam suam originem, patrem scilicet & matrem, nempe colore & cute rubea in superficie illorum natante. cutis enim illa facile indicat substantiam argenti uiui, & sulphuris.

DE SVLPHVRE, Caput II.

CHibur, uel Albusac Arabicè dicitur, sulphur Latinis, pars lapidis philosophorũ apud chimistas, principium & pater metallorum, cal. & sicc. quarto gradu. Estq; nihil aliud quàm terra, uel pinguedo terræ, in minera terræ, per temperatam decoctionem inspissata, quousq; sit indurata & sicca facta. & si acutè consideras, sulphur generatur ex purißima siccitate terræ, uel terrestri, in qua omnibus modis prædominetur ignis: estq; quasi uapor calidus & siccus, causa & pater metallorum. Vel breuiter sic: Sulphur est terra calore excocta, & in substantiam sulphuris commutata, aquosis, terrestribus & igneis transeuntibus. Hactenus quid sulphur: nunc quotuplex sit, dicemus.

Sulphur, à Germanis schwefel, est aliud natiuum, aliud factitium.

Natiuum, foßile ex fodinis: ut in Islandia mons

est nomine Hetkelsfelde, ubi copiose effoditur. Reperitur & in ipsis montibus & paludibus. & hoc apyron dicitur, quasi sine igne, uel quod ignem non est expertum. estq; sulphur simplex, naturale; à uulgo uiuum, quòd causat; & elementum est metallorum, ut iam indicauimus. Dioscorides libro quinto, capite septuagesimo tertio, laudat apyron hoc, quod splendidum perluceat, quodq; minimè lapidosum, & sit effossum in Melo ac Lipara: cuius natura sit, calfacere, discutere, ac concoquere. cuius & species scimus esse has: I. quoddā sulphur concrescit in terram glebosam & solidam. & hoc propriè sulphur dicitur uiuum à Germanis, lebendiger schwefel. & eo solo ex omnibus generibus utuntur medici. translucet, resplendet, uiret, & est pingue; idq; excellit. II. quoddam omnino est tenue. III. quoddam quasi mica reperitur; ut fit apud nos Goslariæ, & Hanofræ. De his & Plinium uide libro tricesimoquinto, capite decimoquinto; Auicennam libro secundo, de sulphure, & alios. Est autem magna cognatio sulphuris & bituminis. rapitur enim & incenditur hoc facilimè igne in insulis Aeolijs, magnaq; eius est copia; unde iam ad Italiam, & inde ad nos affertur. Cæterùm de sublimatione, solutione, liquefactione eius, consule ipsos chimistas. meum enim hoc non est institutum.

Factitium, id quod arte paratur, et fit perfectum, quod

quod ignem est expertum: & illo ubique utimur. & dicitur sulphur uulgi, sulphur item adurens, quod minimè causat metalla: cuniculis effossum: imperfectum quasi igne perficitur (vnser gemeyner schwefel) incoquitur oleo, & calamis ferreis funditur: propterea dicitur etiam extinctum, siue mortuum sulphur, geleschet od' getödet schwefel. cuius iterum tres species sunt. Prima est, quam dicunt glebam; estq; familiare sulphur fullonibus. Secunda est, quam dicunt Egulam. cuius usus etiam in lanis sufficiendis. Tertia, qua utimur ad ellychnia. Dioscorides laudat id quod uiret ac pingue spectatur.

DE ARGENTO VIVO, Caput III.

Argentum uiuum chimistæ Mercurium uocant. estq; nihil aliud quàm aqua uiscosa, in uisceribus terræ, substantiæ subtilis, albæ terræ, per calorem temperatißimũ unita totali unione, perq; minima, quousque humidum fuerit temperatum à sicco, & siccum ab humido æqualiter. Estq; argentum uiuum altera pars lapidis philosophorum, secundum chimistas; & principiũ alterum, materq; omnium metallorum: & secundum quod coit cum patre & masculo suo sulphure, causat perfectionem & imperfectionem in metallis. & metalla quoque (ut fœtus) plus à matre, sic loquendo, quàm patre habent:

habent: hinc plurimùm trahunt originem, in hoc plurimùm resoluuntur. Est autem argentum uiuum duplex, natiuum scilicet, & artificiale.

Natiuum, sui coloris, sine excoctione, quod tale reperitur intra metalla in lacubus, in quos è fibris effluxit. eyn recht natürlich quecksilber. hoc est, mater & elementum metallorum; de quo iam egimus. Hoc nouit ipse Plinius libro tricesimotertio, capite sexto, cum inquit: Est & lapis in ijs uenis, cuius uomica liquoris æterni, argentum uiuum appellatur. Dioscorides ipsum non uidit forsitan, cum inquit libro 5. capite 60. Quinetiam argentũ uiuum inuenitur in argenti fodinarum tectis, stillatim concretum. alij per se in metallis inueniri tradunt.

Artificiale, quod fit seu coquitur ex minio ipso lapide natiuo, siue ex uena minij: auß dem bergzinober, od quecksilber ertz. quod reperitur etiam in nostris fodinis. Artificiale hoc quod ex minio fit, Dioscorides nouit, ut patet libro quinto, capite sexagesimo. Huius docet conseruationem, usum, uenenum, & antidota. tu consule & Plinium L. C. item lib. 20. cap. 5. & lib. 28. cap. 9. & 10. item & alios.

Cæterùm nota & hoc, quòd Græci tam factitium quàm natiuum uocant ὑδράργυρον. Plinius autem tantum natiuum, id quod natura sua ui & sponte creauit, argentum uiuum dicit; ut patet ex loco suprà citato. At quod ars ex minio, siue uena minij

conficit,

conficit, hydrargyron nominat, libro, ni fallor, eodē tricesimotertio. propterea reprehenditur etiā à clarißimo Leoniceno. Postremò notandum & hoc, argentum uiuum dum est liquidum, in officinis nostris dicitur crudum argentum uiuum: dum uerò est mortificatum, in officinis uocant concrematum; seu sublimatum à nonnullis.

Argentum uiuum est calidum & humidum quarto gradu. Quidam frigidum quarto gradu uolunt. Chimistæ ponunt frigidum & humidū quarto gradu, liquidum in tertio, album secundo gradu, tenebrosum primo gradu. sic enim loquuntur.

DE AVRO, Caput IIII.

AVrum à Germanis golt, à chimistis dicitur sol: & tribuitur soli. metallum est omnium temperatißimum, calidum & siccum secundo gradu. Chimistæ calidum secundo gradu, humidū primo gradu, fixum & rubeum tertio gradu dicunt. Estq́; corpus metallicum, citrinum, fulgidum, ponderosum, æqualiter in uentre terræ digestum, aqua minerali diutißimè lauatum; ex argento uiuo puro, fixo, claro, rubeo; & ex sulphure mundo, fixo, rubeo, non adurente. In summa, aurum est ex subtilißima substantia argenti uiui. Videmus enim argentum uiuum facilimè aurum suscipere, quod proximum suæ naturæ est, ut mater filium suscipit. Deinde aurum & ex pauca substantia mundi sulphuris

& puræ

& puræ rubedinis constat, plus tamen habet argenti uiui quàm sulphuris, plus habet à matre quàm patre. Sulphur purißimum cum matre argento uiuo pater coiens, optimum generat filium aurum. Breuiter, argentum uiuum, coagulatum, sulphure puro igneo, non tamen adurente, fit aurum. Hic est ille filius dilectus, quem semper proponit facere, ad quem semper contendit natura: uerùm diuersa accidentia superuenientia, alia procreant metalla. Est autem aurum primum duplex, natiuum scilicet, & coctum.

Natiuum, purum, quod à natura tale est. cuius massas Hispani uocant Palacas, Germani Gedygen gold. idq; reperitur 1. in fluminibus: ut in Tago, Albi, Sala, Schwartza. Darumb frag die goldwäscher. 2. in montibus Arabicis. 3. in fodinis & puteis, partim solum, partim eius scintillæ quasi adhærent ad saxi quoddam genus candidißimum, quod uocamus Germanicè Quartz. cuius copia est Cottenheydæ. 4. in capitulis piscium quos Forellas uocamus.

Coctum, quod conflatur, seu coquitur: 1. ex pyrite, coloris cineracei & galenæ, ut infrà dicemus: idq; fit plurimùm Reichensteynæ. 2. ex terra quadam purpurea, uapore et halitu terræ ita temperata & affecta, ut sit fœcunda auri, ex qua in camino excoquitur aurum plurimis locis. 3. ex chrysocolla. 4. ex cœruleo, de his suis locis.

Facit

Facit autem, ſicuti uidemus, plurimum ad auri bonitatem, regio. Arabicum, Hiſpanicum, Vngaricum, Germanicum, certis diſtant gradibus.

DE ARGENTO,
Cap. V.

ARgentum à chimiſtis dicitur luna, cui etiam tribuitur. Eſtq́; corpus metallicum, proximum poſt aurũ, album albedine pura, mundum, durum, ſonãs. Eſtq́; tinctura albedinis eius ex argento uiuo, puro, ferè fixo, claro, albo: & de tali ſulphure, mundo, fixo, albo, claro, quod cecidit ſuper ſubſtantiam argenti uiui, deficit ei pauca fixatio, color, & pondus. Eſtq́; quaſi filia naturæ proponentis aurum, coeunte argento uiuo, & ſulphure albo, non urente. Reperitur autem argentum in fodinis etiam noſtris, 1. quod ſtatim eſt ſuum, quod ſine opificio fornacum fit, quod purum in uenis reperitur, gedygen ſilber, quod tale eſt ſine excoctione, quod tale ortu generatum eſt, quod eſt ſui coloris, cui ſemper aliquid fermè ſaxi adhæreſcit adhuc abrepti, in ualle ut uidemus effodi ex fodinis. Hoc Plinius ignorauit, cum inquit libro triceſimotertio, capite ſexto: Non niſi in puteis reperitur, nullaq́; ſui ſpe naſcitur, nullis ut in auro lucentibus ſcintillis, terra eſt alia ruffa, alia ciner acea. Hæc Plinius. Sed hoc argentum purum interdum tenuiſsimis bracteis amplectitur lapidem: interdum etiam præ ſe fert ſpeciem

capillo-

capillorum, wie hárrlein: interdum uirgularum, wie zweiglein, od' reißlein von den bóumen: interdum globi fert speciem, quasi filis conuoluti candidis aut rubris, wie eyn zwirnklůel, od' von roter seiden eyn klóulein, zů zeiten wie die spinnwáblein: interdum præ se fert speciem arboris, instrumenti, montium, herbarum, & aliarum rerum. Vidi ego integrum piscem, uidi serpentem, uidi scorpionem, & c. ex puro tali argento in uisceribus terræ ita formatum. 2. rude, à Germanis silberertz, quod in nostris fodinis uariarum est specierum, nempe coloris rubei, plumbei, nigri, purpurei, cineracei, ruffi. de quibus nunc agemus ordine. 3. quod excoquitur ex metallis, ut ex pyrite, plumbagine: à Germanis geschmeltzt silber auß dem kyß vnd glantz. de quo infrà suis locis.

DE ARGENTO RVDI COLORIS rubei, Caput VI.

PRima species argenti rudis, est coloris rubei, à Germanis rot gulden ertz uocatur: apparet carbũculi aliquod esse genus. sed carbũculus acrius refulget, hoc aũt argentũ rude rubeum languidius. Reperitur autem in fodinis, in ualle, etiam alijs locis, idq; uarijs modis, præcipuè tamen triplici modo: Primùm in nigrore quodam lucet. Secundò ueluti scintillæ quædam, saxi aliquod genus eius amplectuntur. Tertiò solidæ ipsius massæ ad saxa adhæ rescunt:

rescunt: idq; interdum simpliciter, aut simplici modo: econtra interdum pro altera sui parte, quæ prominet in mucronem quasi pyramidalem, seu turbinatum, materiam aliam, quàm uena continet, complectitur: idq; in forma quadrata, in modum tesseræ: interdum in forma sexangulari, ut adamas. frequentißimè constat pluribus & inæqualibus angulis, ut iris. ita natura geometriam exercuit sub terræ uisceribus, mirabili opificio. Postremò idē argentum rude rubrum cæruleo conspersum, pulcherrimè reperitur, ita ut uideatur natura ipsa defessa in perficiēdis metallis, se recreasse & oblectasse talibus coloribus, quos ars summo conatu nō poßit assequi. hæc species fuit prorsus (ut & aliæ ferè omnes) incognita Dioscoridi, Plinio, imò cunctis ueteribus. nisi Theophrastus de primo illo loquatur genere, cum inquit: Gemma alia est colore prunis aßimilis. Hoc parum amittit de suo pondere, dum excoquitur, ut sciunt isti Cyclopes, coctores metallorum. Deinde notandū & hoc, quod ex illo genere conficitur nobilis color in picturis. Posset habere & in medicinis locū, si quis tētaret. Hoc & quidā sandaracam esse falsißimè credunt, ut de sandaraca suo loco agemus.

DE ARGENTO RVDI PLVMbei coloris, Caput VII.

NAtura uaporibus calidis & siccis è profundo terræ excitatis, succum unde argentū fit,

uel conglutinatur, uarijs coloribus, pro sua uarietatē & industria tinxit: ut uidemus in his specieb. argenti rudis. Prior species eius est coloris rubei, & nonnunquam cœruleo conspersa. Secunda uerò, de qua hic agimus, plumbei est coloris: à Germanis dicitur glaß ertz. reperitur in fodinis in ualle, & nonnunquam in patria mea dulcißima. refert colore planè galenam, & ei simile prorsus est: at in reliquis differt, ut uir clarißimus Georgius Agricola in suo Bermanno illa egregiè discernit: à quo Agricola, ut liberè dicam, plurimum sum adiutus in his nostris libellis de re Metallica. profectò illi tantum tribuo in re metallica, quantum nec Dioscoridi, uel Plinio, uel cuiuis alij. & hoc meum iudicium me nō fallit. Redeamus sanè ad institutum. Dico argentum rude rubrum, plumbei coloris, refert colore galenam. Sed differt in hoc: Galena est friabilis, & cultro uulnerata, dißilit: argentum uerò hoc rude teri non potest. cultro diffinditur perinde ac plumbū, imò dentibus compressum dilatatur: quod minimè facit galena. Hæc argenti rudis species plumbei coloris reperitur quoq; uarijs modis: scilicet primùm reperitur ueluti massæ in forma miræ magnitudinis, ipsis in canalibus uenarū, tanquam in nido quodam. Secundò repertuntur massæ eius in forma ut arborū gemmæ. interdum admiranda rotunditate adhærescunt ad saxa, & in ipsis comprehenduntur. Interdum etiam

etiam massæ eius uirgulas exprimũt, aut alias quasdam figuras. ut Agricola ligones et malleolos instrumẽta metallica ex illo conflata & effossa sese uidisse testatur. Ego in quodam pisciculos uidi, item & uestigia leonina uel lupi. adeò non ociosa est natura ipsis in terræ uisceribus, ipsis in tenebris. fuit & hoc genus omnino incognitũ ueteribus. Interdum etiam tenuißimæ eius bracteæ saxi aliquod genus amplectuntur.

DE ARGENTO RVDI nigro, Caput VIII.

TErtium genus argenti rudis est nigrum, uel coloris nigri, à Germanis schwartz sylber ertz: cuius in nigrore lucet interdum secundum genus quod galenam refert plumbei coloris. Interdum etiã in se continet scintillas rubri argenti rudis: item & scintillas natura candidi argenti. atq; quo magis illis scintillis abundat, tanto plus argenti, dum excoquitur, reddit. & hoc Plinio & ueteribus ignotum est. Si uerò sterile est, quod fit nonnunquã, tunc simpliciter censenda est terra nigra, ut dicemus suo loco infrà de terris.

DE ARGENTO RVDI PVRpureo, Caput IX.

QVartum genus argenti rudis est purpureum, à Germanis braun ertz. etiam ueteribus & Plinio ignotum. Continet autem & hoc

non parum argenti. In ualle, in fodinis montis nomine Turcici, hoc argentum rude demonstrari potest.

DE ARGENTO RVDI CINERACEO & ruffo, Caput X.

Quintum genus ciner acei est coloris, à Germanis dicitur grawertz. Sextum uerò genus ruffi omnino est coloris. hoc quanto plus argenti aliorum generum in se continet, tanto maior ex illo copia argēti coquitur. Sic profectò uidemus, quòd cineraceum persæpe est argenti diues, maximè cum fuerit subdurum, ut poßit uel cultro secari: aut si molle fuerit, & tenuißimæ micæ argenti, plumbei coloris in ipso splendent. Quod si eiuscemodi non est, minimè ualet, & minus argenti continet. Hæc duo genera Plinius libro tricesimotertio, capite sexto, uidetur nouisse, cum inquit: Terra alia est ruffa, alia cineracea. aliàs parum reperio & hæc fuisse nota ueteribus. Hæ sunt sex species argenti rudis, notæ germanis metallicis uiris. Forsitan sunt plures, si quis diligenter ad fodinas obseruaret: ut & nos, cum aliquando nobis maius erit ocium, quàm hactenus fuerit, indagabimus.

DE RECREMENTO ARGENTI, Caput XI.

Recrementum argenti, quod & uocant scoriam, aut helcysma, aut encauma, à Germanis dicitur silberschlacken, quod remanet post argentum

gentum

gentum excoctum, aut quod trahi solet ex fornacibus ubi argentum coquitur. Dioscorides libro quinto, capite quinquagesimoprimo, argenti recrementum, molybdenæ uim habere dicit, & illud astringere, extrahereq́; : propterea addi debere emplastris quæ obducunt cicatricē, & his quas pheas dicant. Cogita autem, candide lector, quale uelis apud nos esse recrementum argenti. Nam argentum apud nos (ut dictum) coquitur ex pyrite: præterea ex ipsa galena, ne misceas recrementum pyritis, id est æris, kupfferschlacken; & plumbaginis, bleischlacken, de quib. suo loco; cum recremento hoc argenti uero, silberschlacken, von dem silber, oď silber ertz; quod uerè nobis recrementū est argenti. an uerò illud intelligat Dioscorides, tu iudica. Profectò Dioscorides illas species argenti non nouit: quomodo ergo recrementū uerum argenti nosset? Sed hæc missa faciamus. De recremento argenti uide Plinium etiam libro 33. capite sexto. Et hoc facile sequitur, Argentum infrigidat & desiccat, ergo & scoria eius est desiccatiua; ut periculum fecimus in recremento uero nostro argenti rudis.

DE SPVMA ARGENTI, Caput XII.

Lithargyron, lithargyrion, spuma argenti, à Germanis in genere glede, continens adhuc aliquid argenti. cuius usus est in emplastris nonnul-

lis, cum aliàs sit uenenum. Parum differt à fece ista argenti factitia ex plumbagine seu galena, præcipuè illa quæ molybditis dicitur. Dioscorides, ut qui plurimū uersatus est in officinis ubi coquūtur metalla, & parū circa fodinas, ut uidebitur libro quinto, capite quinquagesimosecundo, tres ponit argenti spumæ species, scilicet has:

I. Molybditis, quæ ex arena in fornacibus conflatur, donec perfectè igni incandescat.

II. Ex plumbo, quæ fit ex laminis plumbeis. & Dioscorides laudat Atticā & Hispaniēsem: deinde illam quæ fiat Baijs Puteolis in Campania, & Sicilia.

III. Ex argento quæ fit. & illa iterum duplex, argyritis scilicet & chrysitis. Argyritis, ex argento argentei coloris, à Germanis silberglede. & hac utimur hodie cruda etiam, & non præparata. Chrysitis hæc aurei est coloris, & dicitur lithargyron aureum, à Germanis goltglede: non quòd sit ex auro, sed ex argento, referens auri colorem. Hæ species nobis hodie notæ. Estq; illis uis, ut & Dioscorides docet, astringendi, molliendi, explendi, reprimendi, refrigerandi.

Quomodo uerò uratur & lauetur spuma argenti, item quibus modis illi color addi queat, & quomodo maturitas eius cognoscatur, quæ'ue illi sint uires, consule eundem Dioscoridem loco citato. Plinius libro

nius libro tricesimotertio, capite sexto, spumæ argenti simpliciter hæc tria genera facit, scilicet quòd sit lithargyron, spuma argenti, 1. chrysitis, quæ optima ex ipsa uena fiat. 2. argyritis, ex argento quæ fiat. 3. molybditis, plumbi ipsius fusura quæ est, unde & nomen habet.

Ex his patet, Plinio fieri molybditin ex plumbi ipsius fusura; Dioscoridi autem, ex arena conflata. nisi & secunda species ex laminis plumbeis quæ fit, molybditis olim dicta sit. Reliqua ipse uide apud eundem Plinium, qui more solito totum hoc Dioscoridis de spuma argenti in sua transtulit. à scoria item distare spumam docet in tantum, in quantum distet spuma à fece. Quidam lithargyri etiam species fecere steleritin & peumenin.

Est autem pota argenti spuma præsentißimum uenenum, ut idem docet Dioscorides etiam libro sexto, capite uicesimoseptimo, & Nicander (unde sua in sexto libro plurimum transtulit Dioscorides) in Alexipharmaça potione 22. quos ipse consulere poteris de signis & antidotis. Vide & de illa Serapionem libro Aggregationum, capite Marechet: & de uiribus eius Paulum, item Galenum 9 Simpl.

DE AERE SEV CVPRO, Caput XIII.

AEs seu cuprum à Germanis kupffer, à chimistis, ni fallor, tribuitur Veneri. estq; cor

pus metallicum, liuidum, rubedine fusca, participans, ignibile & fusibile. estq́; quasi medium inter aurum & argentum, inter solem & lunam, ut ipsi chimistæ loquuntur. fitq́; ex argento uiuo, impuro, non fixo, terrestri, adurente, rubeo, nō claro. & ex tali sulphure deficit ei fixatio, puritas, & pondus. Sulphur malum & debile, tanquam pater malæ complexionis, coiens cum generosa matre, id est cum argento uiuo, bonæ substantiæ generat æs, filium tam liuidum, fuscæ rubedinis. Habemus autem æs duplex, scilicet:

I. Purum, gedygen kupffer, quod in ærarijs metallis, & etiam argentarijs, reperitur: quod etiam sine excoctione tale est. Venulæ implicatæ interdum cernuntur: interdum etiam totæ bracteæ, quæ lapidem amplectuntur. Hoc ignorauit Albertus.

II. Quod excoquitur ex pyrite, id est marchasita, item ex alijs speciebus. ut ex illo lapide fißili Islebiæ, auß dem schifferstein. præterea ex nonnullis terræ generibus, luteis & purpureis: chrysocolla & cœruleo etiam, ut aurum.

Aes

Aes uerò dum ita aut

1. est in sua uena, in fodinis scilicet, ubi plurimũ est pyrites, id est marchasita, natiuas causat illas species uitrioli, chalcitis, misy, sory, diphrygis. de quibus lib. 2.

2. excoquitur, fit
   1. Cadmia factitia, cum suis speciebus.
   2. Pompholix.
   3. Spodium.

3. uritur, fit æs ustum.

4. extinguitur, fit flos æris.

5. excuditur, fit squama æris.

6. iam in excocti superficie, fit ærugo rasilis.

DE PYRITE, Caput XIIII.

PYrites & marchasita idem sunt. Nam idem quod Latini & Græci pyriten dicunt, Arabes uocant marchasitam, & zeg nigrum: ut dicemus suo loco de uitriolis. Ab alijs dicitur & lapis luminis, ab effectu: & marchasita capparosa, & la

pis ærarius, & chalcitis etiam prima significatione. Et omnia quæ Græci de pyrite scripsere, Arabes sub marchasitæ nomine in suam linguam transtulerunt.

Dicitur autē pyrites, quia ex eo plurimum ignis excuditur: unde iam à nostris etiam generali nomine uocatur feüersteyn. & illo utuntur milites iam ad inflammandas bombardas. Deinde uel dicitur pyrites, quòd igneus persæpe ipsi sit color. Aliàs à Germanis pyrites simpliciter uocatur kyß, od' kupferstein, kupfferertz. quāuis hæc nomina magis sunt generalia.

Sunt autem & reperiuntur in nostris fodinis uariæ species pyritis: nempe pyrites coloris argentei, ferè aurei, prorsus aurei, galenæ similis, cineracei coloris, item & ferri coloris, &c. de quibus nunc ordine agemus.

DE PYRITE COLORIS argentei, Caput XV.

PRima species pyritis reperitur in nostris fodinis, coloris argentei, quæ à metallicis dicitur eyn wasser kyß, od' weisser kyß. Estq; pyrites argentarius, coloris argentei, ex quo excoquitur argentum, ut in ualle est uidere. Plinius li.36.cap.19. nisi fallor, huius mentionem facit: sed nesciuit ex eo excoqui argentum, ut & ueteres omnes. Aes tamen ex illo coqui, proculdubio sciuit: sicuti Serapio ex marchasita

marchasita æs coqui testatur: & Dioscorides ex pyrite manifestè testatur excoqui æs. Pyrites ergo ille argentei coloris, argentum continet & æs, modò solum argentum, modò solum æs, modò argentum & æs simul, modò argentum & plumbum nigrum, modò plura metalla, modò omnino sterilis reperitur: ut aliquando Salueldiæ in patria mea charissima illum sterilem atq; pulcherrimum inueni. Pyrites autem ille uidetur mihi plus argenti uiui habere, reliquis speciebus.

DE PYRITE COLORIS fère aurei, Cap. XVI.

Secunda pyritis species est coloris ferè aurei, à Germanis gelber kyß, oder gelber kupfferkyß, kupfferstein, kupfferertz. Hic reperitur non rarò in fodinis nostris argentarijs, frequentius tamen in ærarijs. ex illo coquitur æs. Estq; propriè pyrites, & pyrites æris, specie æris: seu ut Plinius dicit, similitudine æris. Estq; propria illa marchasita Arabũ, unde conflatur æs. Hunc pyritem Dioscorides li. 5. cap. 89. præ cæteris in usum medicinæ eligit, præcipuè qui facilè edat scintillas, & solidus sit. docet etiam quomodo uri & lauari debeat. Verum nec primum genus pyritis in medicina etiã contemnendum est. Dioscorides χαλκοειδῆ cum loco citato dicit, significat speciem æris & formam potius quàm colorem, continet autem hæc, ut & prior species,

argentum,

argentũ & æs, modò solũ argentũ, modò solũ æs, modò argentũ et æs simul, modò argentũ & plumbũ nigrũ, modò & alia metalla, modò sterilis omnino est. Has duas species olim inuentas Plin. testatur in Cypro, & in metallis quæ sunt circa Acarnaniã, uel ut aliqui legunt, Acamaniã. apud nos in nostris fodinis reperiuntur multis locis. Cæterum nota quòd pyrites tam aurei quàm argentei coloris, ut antea etiam dictum est, reperiatur sæpe in metallis argentarijs, sæpius in propria uena prorsus sterilis. & reperitur idem pyrites etiam non rarò in riuis: ut in torrente Garmersdorfensi ad patriam meam: & etiam ad flumina, ut ad Albim, quem chimistæ stulti colligunt. Si tamẽ multus reperitur, cõflatur inde quoddam genus lapidis, cuius usus magnus est in argento excoquendo. Cum hæc scriberem, pyrites sterilis talis in propria uena inuentus est in magna copia Hauelburgi, ad Hauelam miræ pulchritudinis.

DE PYRITE PRORSUS aurei coloris, Cap. XVII.

TErtia pyritis species est prorsus aurei coloris, eyn kyß der gantz eyn farb hat wie eyn gold. & hic mihi uidetur plus habere sulphuris. Huic nonnunquam est admixta quarta illa sequens species, der glantzichte kyß: & ita, ut uehementer uisum delectet. Reperitur & is in patria mea, item in ualle, & alijs locis quamplurimis.

DE

DE PYRITE, QVI COLORE similis est galenæ, Cap. XVIII.

QVarta species pyritis, similis est galenæ, eyn glantzichter kyß. Sed Agricola sentit forsitan neque galenam, neq; pyriten esse, sed suum quoddam habere genus. & uerum est. pyritæ neq; colorem, neq; duritiem habet. à galena autem, cuius colorem habet, prorsus materia differt. Coquitur ex eo aurum & argentum. Et reperitur in magna copia Reichensteyni subtilis admodum: & admiscetur nonnunquã præcedenti speciei, ut dictum est. Reperitur & Raurisi maior. sed hæc continet plus argenti, minus auri: econtra quæ Reichensteyni inueniutur, plus auri, minus continet argenti, uel aurum solum.

DE PYRITE COLORIS CINERACEI, Caput XIX.

QVinta species pyritis est cineracei coloris. is subtilis admodum reperitur etiam Reichensteyni, & dicitur eyn grawer kyß. & admiscetur præcedenti speciei, ut ex illa poßit etiam excoqui aurum. Hæc item species, paulo diuerso modo, reperitur Aldenbergi etiam in Silesia, unde etiam conflatur aurum & argentum. Quam speciem mihi aliquando metallicus quidam prius non uisam demonstrauit.

DE

DE PYRITE COLORIS FERrei, seu ferri, Caput XX.

SExta species pyritis est coloris ferrei, seu ferri, cuius Auicenna mentionem facit. præ se fert prorsus speciẽ massæ ferreæ. reperitur in fodinis ferrarijs: non tamen in omnibus, sed in quibusdam. sicuti in patria mea in nonnullis reperitur. fossores uocant eyn eisensteyn, nicht daß es eyn eisensteyn sei, sunder daß er dem eisensteyn gleich ist. Ex his sex pyritis speciebus plerisque ignis excuditur. & sunt ponderosi, & quidam ponderosißimi, & maximè idonei ad ignem excitandum. igitur & hi intelliguntur à Plinio, qui loco citato describuntur; cum inquit: Pyritarũ etiam aliqui genus unũ faciunt plurimũ habẽs ignis, quos uiuos appellamus: & ponderosißimi sunt. hi exploratoribus castrorũ maximè necessarij, &c. Et profectò negandum est aliud esse genus pyritarum. Sicuti autem ex duabus primis pyritarum speciebus argentei et aurei ferè coloris, si sunt densi & craßi, & compacti, ignis facilè excuditur: ita sunt quoties rari, & subtiles, & in minimas dissoluti partes, ne scintillam quidem edunt: quemadmodum nec reliqua sequentia genera; quia ipsa non compacta ac satis solida sunt. Albertus, qui suo tempore uir doctus fuit, de pyrite egregiè errat, cum tamen de metallis omnium dicitur diligentißimè scripsisse. Dicit enim omnis generis pyriten, si-

ue, ut ipſe uocat, marchaſitam, ignem conſumere. Negat ita Albertus, metalla ex marchaſita conflari: cum Auicenna marchaſitam auri, argenti, æris, & ferri eſſe tradit. è pyrite æs excoqui, docet Dioſcorides. & Serapio Arabs è marchaſita æs coqui repetit. & nos iſtud fieri uidemus innumeris Germaniæ locis. In Sileſia Cuperbergi & atramentũ ſutorium conficitur in eodẽ. Quòd ſi hæc legiſſet Albertus, et obſeruaſſet, nunquã in eum errorẽ incidiſſet. Credo ego Albertũ chimiſtis facile dediſſe aures, & nõ adeò diligentem fuiſſe in perſcrutãdis fodinis, & metallis ipſis, propterea facilè eſt lapſus. Albertus multa ſcripſit von Sanct Gebort. Poſtremò uolo et hic annotare, pyritis inſignem eſſe uim diſcutiendi, abſtergendi, excalfaciendi. uerùm quomodo urendus & lauandus, conſule Dioſcoridem li. 5. cap. 89. Plinius etiam li. 37. cap. 11. pyriten nigrum attritu digitos adurere dicit. Vnde & antiqua illa loquuntur carmina:

Tangi uult leuiter, blandaq; manuq; teneri.
Nam preſſus nimium digitos tangentis adurit.

Ego quoad ſcio pyritem neſcio nigrũ. deinde non admodum periculũ feci, an pyrites talem habeat naturã, ut adurat manũ: niſi Plinius illa uelit intelligere ſimpliciter de cobalto noſtro nigro, qui adurit, id eſt corrodit manus operariorũ, de quo mox dicemus. Plinio ſubſcribit & Solinus in Polyhiſtore ſuo, capite

pite 46. Sed hæc in medio relinquo. Porrò idem Plinius lib. 36. cap. 19. corallium pyritem uocat, quia illi plurimum sit ignis. Verùm pyrites quasi genus est Plinio. & sic Plinio foret propter effectum pyrites ipse chalcedonius: item & silex, ex quo nostro tempore ignis uulgo excuditur. Vltimo, ne & hoc inscitia uidear transijsse, sunt qui et pyritis speciem esse uolunt lapidem illum fißilem, den schyfer: unde etiam æs conflatur. & de illorum sententia etiam fuit Valerius Cordus, præceptor meus charissimus, quem eheu fata terris tantum ostenderunt, quo in simplicibus omnis generis nemo doctior fuit cognoscendis & excutiendis: propterea etiã abiens in Italiam, Romæ perijt. Aptißimus autem est lapis ille fißilis, impreßionibus subterrancis. nam in illo uidimus aliquando pisces, serpentes, scorpiones, cicadas: gallum aliquando pulcherrimum, ornatum incuruatis pennis, & corona duplici. Item & alia in illo mirabiliter impressa sæpe conspiciuntur.

DE CADMIA NATIVA, Caput XXI.

CAdmia est duplex: scilicet natiua & factitia. De natiua agemus in hoc præsenti capite, de factitia uerò in sequenti. Cadmia ergo natiua iterum est duplex: scilicet una quæ reperitur in montibus & riuulis, & nonnunquam torrentibus. Et uidi aliquãdo inuentam cadmiam in torrentibus

Vuestphaliæ: de qua cadmia loquitur forsitan Galenus. Alij disputant esse irim gemmã. nihil tamẽ hic ego sine iudicio aliorũ affirmare nec ausim, nec uolo. Altera cadmia natiua reperitur in fodinis metallorũ, foßilis, & lapidosa: ut cernere licet in ualle ad fodinã, cui nomẽ est Veronæ. Estq; ille lapis quẽ Germani uocãt den Cobalt, nomine dæmonis qui ædes inhabitat aliquando, ut in Saxonia uidimus. Plin. lapidẽ ærosum uocat. Et ille lapis, seu illa cadmia natiua, foßilis, der Cobalt, nõ multũ differt à pyrite, seu marchasita, von dem kyß, od' kupfferſteyn: estq; illi fermè similis. Succi, ex quibus pyrites & argentum fiunt, uidentur cõcreuisse in unũ corpus, atq; ita id natum quod uocant Cobaltum. Sunt qui idem cum pyrite esse censent; quia eadem illi ferè insunt quæ pyriti. Sunt qui specie distinguant. nam insignem sæpe corrodendi uim habet, ut manus & pedes operariorum exedat: quod minimè facit pyrites. Vnde bene Plinius inquit libro tricesimoquarto, capite decimo, cadmiam lapidem ex quo æs fiat, per sese esse medicinæ inutilem: sed fieri utilem tum, cum cadmia fiat factitia. Cobaltum autem, seu natiua illa cadmia, foßilis, quo ad colorem, reperitur triplici modo in fodinis. 1. Cobaltum est nigrum, schwartz cobalt. hoc uidetur primum notum fuisse Germanis. Nos enim uocamus nigros illos uisibiles dæmones, habitantes in ædibus, & præcipuè in culinis,

Cobald. unde propter colorem forsan hoc metallum sic uocant, so schwartz wie eyn Cobalt. Si hanc etymologiam non concedes, dicam quòd habeat nomen ab euentu aliquo, at fabuloso. 2 cineraceũ, äschfarb Cobalt. Et hæ duæ priores species communiter reperiuntur. 3. ferrei coloris. Hoc non adeò uulgare. In patria mea hanc speciem aliquando reperi in fodinis illis antiquißimis, uersus ortum hyemalem. à Germanis eisenfarb Cobalt.

Quodcunque uerò ex his, argento magis quàm pyrites abundat. Dioscorides has species foßiles natiuæ cadmiæ non nouit. Quod patet ex his uerbis libri 5. cap. 40. cum inquit: Nec desunt qui cadmiam in lapidum fodinis inueniri tradant, falsa quadam lapidũ cognatione, etc. Docet aũt quomodo in Cypro è monte qui solis incũbit cremato lapide, cui sit cognomẽ pyrite, cadmia extrahatur: deinde quomodo illa differat à lapidib. cognatis, qui mentiãtur cadmiã, scilicet pondere, sapore, masticatione demũ, cõtritione, & coitione, ustione, & colore quẽ edit.

Quæ sit illa cadmia natiua foßilis Dioscoridis ex cremato pyrite in Cypro, ignoratur iam quoad ego scio: econtra illæ nostræ cadmiæ foßiles illi ignotæ fuere. Lapides aũt qui mentiũtur cadmiã nostrã, etiam apud nos reperiuntur, in nostris fodinis, pluribus locis. Etiam Salueldiæ quidam inueniuntur ferrei coloris: at sunt steriles, deinde uim erodendi

non

non habent. Simplices homines qui talia ignorant, pro uera tales lapides habent cadmia, & egregiè falluntur. Cæterũ nota & quòd lapis sit alius, quàm hæc uera cadmia, qui hodie à nonnullis dicitur terra cadmia, & lapis calaminaris, à Germanis Galiney. in quibusdam locis imbecillis admodum, in quibusdam pondere tantus, ut pro uera cadmia haberi poßit. Natiua uerò cadmia hodie in officinis nostris omnino non cognoscitur, ut & quidem omnis cadmia factitia; nisi botryites, quæ Tucia Arabicum dicitur: sicuti illa Alexandrina, uocatur Tucia dura uel solida. Verùm Botryites cadmia alia res est quàm Tucia, sicuti testantur Arabes, ut Serapio. Nam spodium est tucia, & res nihili. & botryites cadmia non est tucia, licet loco tuciæ ea uti possumus, si præparata fuerit, teste Serapione. Hinc Dioscorides meminit spodij & non tuciæ, ne ita bis unã rem poneret, et unum caput bis repeteret. in summa id quod Arabibus Tucia est, Græcis est Pompholix, & nobis spodium. erratum est nõ uiribus, sed rebus. Quomodo uerò differant spodium seu pompholix à cadmia capniti, mox dicam. nempe differunt propter loca ubi fiant. quando fit in oris fornacum, tunc est capnitis: quando uerò in summitate fornacũ, tunc est pompholix, ut in sequenti capite mox clarius dicemus. ad quod introitum hac appendice parare uolui lectori: deinde ut corrigerẽ errorem officinarum

 & negli-

& negligentiam, quòd natiua cadmia non utantur præparata, commoda tamen in re medica. Redeamus sanè ad nostram cadmiam natiuam, foßilem. Plinius libro tricesimoquarto, capite primo æs fieri siue conflari inquit è lapide æroso, quem uocant cadmiam, in Asia & Campania olim celebrem. Præterea docet suis temporibus inuentam in agro Bergomatium, & in Germania prouincia. Quo in loco Plinium simpliciter loqui de nostra cadmia, von vnser cobald, puto. & pulchre eum uocat lapidem ærosum. Deinde patet & hoc, tempore Plinij, cadmiam, den cobald apud nos inuentã esse. porrò quod forsitan tum temporis fodinas agere Germani cœperunt. Ferrariæ enim & ærariæ fodinæ sunt antiquißimæ. Postea sub Othone magno plumbi nigri fodinæ cœperunt, & longo pòst interuallo argentariæ: cum Cornelius Tacitus manifestè scribat, Germanis olim nec aurum, nec argentum fuisse, multo minus fodinas illorum metallorum. Est nunc eò peruentum, ut alma nostra Germania superet, imò longè post tergum relinquat cæteras regiones, copia metallorum, omnium ferè generum. Laus Deo optimo maximo in secula.

DE CADMIA FACTITIA, Caput XXII.

Cadmia factitia aut est substantia, tenuißimaq; fauilla pyritis, aut alterius metalli, præcipuè

cipuè tamen pyritis translata, aut egesta, in latera uel summas cameras fornacis, ubi fit succeßiuè aliquot septimanis, ut testatur noster Dioscorides libro quinto, capite quadragesimo. Cum, inquit, gignitur cadmia ex ære in fornacibus candente, fuligine egesta flatu, & lateribus camerisq; fornacum inhærente. Alij cadmiā sic definiunt factitiam: Cadmia factitia est substantia, cum ab ære iactantur sursum corpuscula cohærentia, per summa fastigia connexa & concamerata, quæ insident inuicem spißius, & in unum globum seu corpus concrescunt: quod modò unum genus factitiæ cadmiæ, modò duo, modò omnia continet. Verùm illa est definitio cadmiæ factitiæ quam Acestidam dicunt. Diximus autem cadmiam fauillam esse æris aut alterius metalli. Fit enim cadmia & hæc quidem optima ex ære: item ex alijs metallis, ut ex auro ipso, uerùm illa nullius momenti est. Deinde fit & ex argento, quæ candidior, ac minus ponderosa est, nequaquam similis tamen æratiæ. Aes autem hoc loco propriè intellige ipsum pyriten: unde præstantißima, dum coquitur, conflatur cadmia. Goselariæ præstātißima fit illa cadmia, quia nō tantum argentum uel plumbum tenet, sed omnia metalla. Si pyrites purus est, fit placodis & botryitis: quando uerò mixtus alijs, tunc omnis fit cadmia. Dioscorides laudat Cypriam & botryiten. Sunt uerò factitiæ cadmiæ multæ species, quas par-

tim docet Dioscorides, partim alij, partim ipsa profert experientia: quæ etiã differunt ratione loci, ubi fiant, item & forma, ut docent ipse Dioscorides, & eius interpres Plinius. Verùm ut adolescentes tales species percipere queant, subijciemus eas ordine.

CADMIAE FACTITIAE SPECIES.

I. Est botryites quasi acinosa, densa, modicè grauis, & in leuitatem magis declinans, racemosa facie colore spodij: quæ fracta cinerulenta est, & æruginosa. Hæc, & onichitis sequens, utiles sunt oculorum medicamentis. Est et alia botryites, quæ ignota forsitã fuit Dioscoridi: quæ fit aut casu, in carbonibus rotundis: aut ex industria, in hasta ferrea, inter serta in fornacem. Nam eam flammula dum lambit, & ei adhærescit in rotundum, hinc fit botryites, quæ colligitur deinde. Et hanc Alexandrinam dicunt cadmiam: quia illic plurimum fieri eam uolunt. & uocant etiam Tuciam solidam. estq; fermè similis corticibus arborum nonnullarum. quæ fit per sublimationem, quando fit aurichalcũ (ut uocant:) ita duplex foret, tucia scilicet Alexandrina, & tucia Arabica: cum quid tucia, in præcedẽti cap. attigimus, & mox plura dicemus in sequenti.

II. Onichitis, onichitæ lapidi similis, foris cærulea, intus candidior, internatis uenarum discursibus: cuiusmodi sunt, ut docet Dioscorides, quæ è ueteribus metallis effodiuntur. Quo in loco uetera metalla intellige

telligenon fodinas ipsas, ut eruatur ex ipsis fodinis, sed quòd metallicæ sit naturæ. Er meynet nichts anders dañ die grossen alten schlacken hauffen, die ietzt wid geschmeltzt werden, in den selbigen wird gefunden onichitis cadmia factitia.

III. Placodis, id est crustosa. nam planis crustis constat. Inter has species est & quæ planitis seu zonitis dicitur, quæ ueluti cingulis apparet multiformis.

IIII. Ostracitis, gracilis, nigra, sed quæ testaceã faciem habet, terram amplexa est.

V. Capnitis, id est furnaria, uel uolatilis, quæq; fermè spodion, siue pompholix, siue nihili est. reperitur in oris fornacum, & in summis fornacibus. & est parua differẽtia inter illa, imò unũ & idem sunt, ex eadẽ materia. Sunt & iisdem uirib. capnitis hæc cadmia, & pompholix: possunt tamen discerni, propter diuersa loca ubi fiant. Capnitis hæc reperitur in oris fornacũ, pompholix uerò in summitate fornacũ.

Hæ species ualent ad emplastra, & est omnium illarum effectus, adstringere, cum caliditate. quemadmodum & pyritis est stipticus, ut dicit Serapio. Præterea uis illarum est, caua explere, sordes expurgare, exiccare corporis meatus, excrescentias carnis coercere, crustas creare, ulcera ad cicatricẽ perducere.

Quia uerò hæ cadmiæ ualde sint calidæ & siccæ naturæ, uruntur & lauantur modis, quos præclarè docet Dioscorides, ut scilicet utiles fiant ad emplastra

& alia medicamenta. O utinam nostri medici, præcipuè chirurgi, cadmias illas non ignorarent, sed in usum medicum reuocarent. De his factitijs cadmijs & uide Plinium libro 34. cap. 10. ubi inquit: Cadmia in fornacibus existit, aliamq; nominis sui originem recipit: fit autẽ egesta flammis, atq; flatu, tenuißima parte materiæ, & cameris, lateribusq; fornacũ, pro quantitate leuitatis applicata, scilicet:

I. Tenuißima est in ipso fornacum ore, qua flammæ eluctantur, dicta capnitis exusta, & nimia leuitate similis fauillæ.

II. Botryites, duorum colorum: cinerei scilicet, & sic deterior: punicei, & sic melior. Hæc interior dependet cameris.

III. In lateribus fornacum, quæ propter grauitatem ad cameras peruenire non potuit. hæc est placitis crusta uerius. Ex ea etiam fluunt duo alia genera, scilicet: 1. Onichites, extrà penè cœrulea, intus onichis similis maculis suis. 2. Ostracitis, quæ est tota nigra, & cæterarum fortißima, uulnerib. utilis. Omnis autem cadmia in Cypri fornacibus optima est. Hæc Plinius.

Cæterùm quomodo & lauari et aduri debeat cadmia, item quæ uires cadmijs, eundem ipse consule Plinium L. C. Vide & Galenum, Auicennam, & alios. Alij recentiores in his, ut de rebus ignotis, adeò turpiter sese dedere, confundentes hæc omnia in unum chaos,

chaos, ut pudeat pigeatq; me illos uel uidere, uel legere. Estq; eò peruentum, ut non res ipsas considerarent, & inquirerent: sed rebus omißis, tantum disputarent de nominibus. Bonus ille uir Simon de Ianua, cadmiæ nomen docet tribus rebus posse applicari, scilicet:

I. fumo, quæ eleuetur à quolibet metallo, ut auro, argento, ære. Et hæc est illa cadmia factitia propriè, de qua nos agimus hoc loco.

II. lapidi calaminari, qui uulgo marchasita dicatur, quo tingitur æs. Hic uir bonus nesciuit, aliud esse lapidem calaminarem, & aliud esse marchasitam, id est pyriten, unde fiat æs, cuius species illa natiua cadmia, quam cobaltum dicimus. de quo pyrite etiam fit optima cadmia illa factitia.

III. quæ reperiatur in mineris metallorum, maximè æris. Et hæc est cadmia natiua, de qua nos egimus in capite præcedenti. Ita uides quàm sint hæc confusa, & quòd idem semel bis'ue dicat.

In summa, natiua foßilis nostra cadmia, est cobaltum nostrũ cum suis speciebus. Factitia uerò cadmia optima fit in fornacibus ex pyrite, id est ex marchasita, ex ære simpliciter, ut dicit Dioscorides. Habet autem nomina secundum loca ubi fiat: & secundum formam, qualis sit colore. Wir haben cadmiam natiuam in fodinis, im den grůben: vnd haben factitiam in officinis, ubi coquuntur metalla, præcipuè æs, in

den schmeltzhütten, do man schmeltzet allerley ertz, fürnemlich kupffer. Sed de his satis.

DE POMPHOLIGE, ET EIVS cognatis speciebus, Caput XXIII.

Dioscorides libro quinto, capite quadragesimoprimo, coniungit quasi pompholigẽ, spodon, & antispodon. Primùm pompholix est idem quod in pharmacopolijs iam dicitur nil album, uel nihili, nichtes. Vnde prouerbium ortum, Nichtes ist in die augen gůt. Vocant & album pompholigum crasse. Econtra spodion est idem quod in pharmacopolijs dicunt nigrã pompholigem, seu nil gryseum. Ab Auicenna uocatur, ni fallor, succudus. Tertiò antispodion, quod loco spodij usurpatur, est cinis qui fit ex folijs, floribus, & baccis immaturis, stipticis, myrti, uel è termite syluestris oliuæ, & alijs, sicuti docet loco citato Dioscorides, & Plinius libro tricesimo quarto, capite decimotertio. Nota autem quòd neq; spodon, neq; antispodon iam nostram præbebis alicui per os: quia uerè nescimus quid sint, & unde nostro tempore fiant. Sed accedamus ad res ipsas.

Pompholix est cinis metallicus, qui fit in summitate aut parietibus fornacum, seu domuncularum ubi sunt fornaces, in den hütten, extinctis fauillis. qui cinis & differt secundum diuersitatem metallorum, & locum in quo uel ubi fiat. efficacior enim est quæ cinerea est, & fiat ex pyrite, quàm quæ ex plumbario la-

rio lapide. Inde Goſelarienſis melior eſt omnibus Miſnenſium, continens nempe in ſe argentũ, plumbum, et æs. ſicuti optimã eſſe dicit Dioſcorides Cypriam. Illa uerò pars quæ adhæret parietibus domuncularum & fornacum, ſpodion eſt: econtra illa quæ in ſummitate pendet, eſt pompholix. & differt à ſpodio, candore & leuitate, ut docet Dioſcorides, pompholigem diſtare à ſpodio, ſpecie ſola, non genere. ſcilicet ſpodos eſt 1 nigra, 2 ponderoſa, 3 plena paleis, 4 euerritur è pauimentis officinarum. Pompholix eſt quiddam 1 album, quaſi bulla ſeu ampulla, unde & nomen habet apud Græcos. 2 pingue, ac leue. 3 purum. 4 quod colligitur & fit in ſummitate fornacum.

Eſt autẽ pompholix duplicis propriè ſpeciei, ſcilicet prima eſt ſubpinguis, coloris aërij. hæ propriè dicenda eſt nil griſeum. Altera eius ſpecies magnopere candida, & ſummæ leuitatis: quæ fit aut in ære perficiundo, detrita cadmia cumulatius inſperſa, ex induſtria: aut fit ex ipſa cadmia proflata follibus. Cuius rationem faciundæ docet Dioſcorides longo ordine. & pars tenuis, & leuißima materiæ in ſummam quæ domum euolat, parietibus, tectis, fornicibuſq; adhæreſcens, eſt pompholix: ponderoſius autem in ima loca ſe recipiens, eſt ſpodion.

Porrò quæ bona, quæ adulterata ſit pompholix, quomodo debet lauari, & quæ illi ſint uires aſtringendo,

gendo, refrigerando, explendo, purgando, obstruendo, exiccando, consule ipse Dioscoridem, qui hæc omnia docet. Præterea addit modum ustionis, seu ut uocat torrefactionis: & unde potißimum fiat, nempe ex auro, argento, plumbo, ære. & post Cypriam, ubi lapis plurimum pyrites est, ualere dicit plumbeam. His assentitur Plinius. Galenus uires tribuit pompholigi efficaciores quàm spodio. Et profecto pompholix compositas habet uires, uelutirosa ipsa. Suprà autem docuimus de cadmia, cadmiam botryitin dici tuciã Arabicã: sicuti illa Alexãdrina, dicitur tucia dura, uel solida. Sed botryites cadmia alia res est quàm tucia: sicuti testantur Arabes, & quidem Serapio. Nam spodium de quo hic agitur, est tucia, & res nihili: & botryites non est tucia. Dioscorides spodij, & non tuciæ meminit, ne uideatur unam rem bis ponere. In summa, id quod Arabibus est tucia, Græcis est pompholix, & nobis spodion. id quod testantur Auicenna, Serapio de tucia, & Dioscorides de pompholige capitulis. Erratum est in rebus, & non uiribus. Botryite cadmia loco tuciæ, id est spodij uti possumus, si præparata fuerit. Differunt autem botryitis & capnitis cadmia, & pompholix, & spodos, ex eadem materia cum fiant, tantum propter loca ubi fiant. Cadmia botryitis fit in lateribus, uel summis cameris fornacum: interior econtra capnitis in oris fornacum fit propriè.

Pompholix


Pompholix uera, nil album, nihili, cinis metallicus leuißimus fit etiam in summitate fornacum, aut parietibus, uel etiã domuncularũ ab extra. Si in oris fornacũ est, tum cadmia est capnitis: si in lateribus & summis cameris est põpholix. pars quæ in summitate dependet, est pompholix: econtra pars quæ adhæret parietibus, est spodion. Illa adolescẽtes diligẽter obseruare debent. Et profectò magno labore illa à me et obseruata & collecta sunt. Cæterùm nota & Arabes duplicem facere tuciam: scilicet natiuam in mineris: albam, uiridem, & citrinam, quæ reperiuntur in litoribus maris Indiæ. Deinde factitiam in fornacibus, de qua hic agimus. Nota etiã alias præter illam fuliginẽ spodion Serapionis, Dioscoridis, Plinij, Galeni, qui inquit, Nunquã spodio usus sum, quia satis habui pompholigos, quod Arabes duplex habent spodon: scilicet spodium 1. de canna, ex radice cuiusdam cannæ, ultra marinæ combustæ, ut est apud Auicennam, de spodio cum inquit: Spodion est radix cannarum adustarũ, frig. 2. gradu: sic. 3. gradu: & Paul. frig. & sic. complexionis spodion dicit. Alterum quod est seu fit 1. ex ebore uero combusto. 2. de oßibus elephanti, canum, & aliorum animalium. auß den schelmknochen exusta est hæc spodos: usq; ad leuitatem ex oßibus. Man findet noch beyn dorinnen, cum fieri ex ebore deberet usto. Et nota quòd neque spodos, neq; antispodos alicui præbebis per os. nescimus enim

mus enim quid iam sint nec spodos, nec antispodos, in nostris pharmacopolijs. nos peregrina colimus, nostra contemnimus. Medici spodon nostram ex officinis & fornacibus reuocare deberent. at surdis narro fabulam. Præterea quidam spodon uocant & æruginem æris & ios. Postremò obserua & quæ de his Plinius habeat lib. 34. cap. 13. cum inquit pompholigem & spodon reperiri in ærarijs. & esse differentiam illarum, quòd pompholix lotura paretur, spodos sit illota. deinde pompholigem esse id quod candidißimum & leuißimum, nempe fauillam esse æris & cadmiæ: spodon uerò nigriorē, ponderosioremq; derasam parietib. fornacū, mixtis scintillis, aliquando & carbonibus: Cypriamq; optimā, quæ fiat liquescentibus cadmia, & ærario lapide. Insuper & spodij loco citato species facit, melleam, rubicundam, deinde quæ fiat in argenti fornacibus, & in aurarijs, quæ nomine lauriotis dicatur. Porrò spodij è cauliculis, id est, antispodij mentionem facit, eiusq; medelas refert, lib. etiā 23. cap. 4. Item lib. 34. cap. 18. Item docet & spodon fieri ex plumbo, eodem modo quo ex ære Cyprio. Verùm hæc ipse uidere apud eundem poteris locis citatis,

spodio ex { ære Cyprio Dioscoridis et Plinij, id est, auß dem kupffer, similis est uirtute spodos nostra Goselariæ.
plumbo, similis est nostra in Mißnia, in officinis, ubi plumbum plurimum coquitur. }

Cadmia est duplex:

- natiua
  - in montibus & riuulis quæ reperitur: de qua loquitur Galenus, quam disputant esse irim gemmam.
  - foßilis, in fodinis, aliàs Cobaltum, Cobald à Germanis dicitur. Estq; iterum triplex Cobaltum,
    - 1. nigrum
    - 2. cineraceum
    - 3. ferrei coloris.
- factitia
  - fauilla, & tenuißima substantia ex
    - 1. ære, id est pyrite
    - 2. argento
    - 3. alijs metallis, ut auro.
  - Harũ iterũ sunt diuersæ species, quæ differunt ratione loci, ubi fiãt. deinde etiam forma discernũtur.
    - 1. Botyrites quasi acinosa, quæ falso nunc dicitur Tucia. hæc iterum duplex,
      - facie colorẽ repræsentat spodij: fracta uerò, cinerulenta apparet.
      - Alexãdrina, quæ fit casu in carbonibus, arte in hasta ferrea.
    - 2. Onichitis
    - 3. Ostracitis
    - 4. placodis, & planitis
    - 5. capnitis, quæ fit in oris fornacum, aliàs foret pompholix.
- Acestis



Pompholix.

- 1. Pompholix uera in officinis nil album
  - ex cadmia insperſa de induſtria.
  - ex ipſa cadmia proflata follibus.
- 2. Spodium
  - 1. fauilla et cinis metallicus, & ſtercus quaſi, de quo hic agitur, in officinis uocatur Nil griſeũ. cuius ſpecies & Plin. enumerat. ab Arabibus Tucia appellatur: quæ etiã apud eoſdem eſt duplex:
    - natiua in littoribus maris Indiæ
      - 1. alba
      - 2. uiridis
      - 3. citrina.
    - factitia
      - Arabica, quæ eſt ſpodiũ, & nõ botryites illa cadmia.
      - Alexãdrina ſolida, quæ eſt cadmia illa botryites Alexãdrina.
  - 2. de cannæ radice
  - 3.
    - ex ebore
    - ex oßibus
      - elephanti
      - canum, & aliorum animalium.
- 3. Antiſpodium ex cauliculis ſtipticis, ſecundum Dioſcoridem.

Sunt & qui antispodiũ nunc simpliciter dicant ebur ustum. uerùm nescimus propriè quid sit, neq; spodium, nec antispodium nostro tempore.

DE AERE VSTO,

Caput XXIIII.

AEs ustum seu crematũ, à Germanis gebrant ertz od' kupffer, fit, ut docet Diosc. li. 5. cap. 42. uicib. alternis, æreis clauis cõpositis, cũ sulphure & sale, aut etiam alumine in uase fictili. Docet & alios modos Dioscorides cremandi. licet & nunc quoq; nostro tempore, fit æs ustum, ex ipso ære cremato, sulphure et sale. Laudatur autem potißimum Memphiticum & Cypriacum ab eodem Dioscoride. Estq; uis eius, adstringere, exiccare, reprimere, extenuare, attrahere, ulcera purgare. nam quoties inungitur ulceribus cum aceto, consumit quæ sunt impedimento in ulceribus. Mouet uerò æs ustũ nauseam, & stomachũ, ut omnes illæ res. lauatur ut cadmia. Volunt & æs ustum calidum & siccum quarto gradu. Huic æri usto uirib. quodammodo simile est (imbecillius enim est) æris recrementũ, stercus, seu scoria, à Germanis kupfferschlacken, lauaturq; ut ipsum æs ustũ. Verùm consule Dioscoridẽ L. C.

DE FLORE AERIS,

Caput XXV.

FLos æris per metaphorã sic dicitur, à Græcis χαλκοῦ ἄνθος propriè: at nõ calchantum, id est

uitriolum seu atramentum sutoriũ, ut indocti olim crediderunt: qui illusi uicinitate uocabulorum, & χαλκοῦ ἄνθος & calchantum, pro uno habuerunt, maximo errore. Flos autem æris χαλκοῦ ἄνθος diuersus est ueteribus & recentioribus. Nam ueteres florem æris dicebant, ut patet, globulos illos exilientes purpureos, ex infusione aquæ, & respersione æris ex aqua. Die körner die do herauß springen auß dem abgelöschten ertz, od das schon rothe, kleine, das am kupffer hanget. De illo flore æris loquitur & Dioscorides lib. 5. cap. cap. 43. ubi & eius uires & medicas uirtutes docet. Recentiores uerò florem æris, uel χαλκοῦ ἄνθος uocant æruginem æris, kupffer grün, od grünspon. Cum ergo apud ueteres leges florem æris, intellige granula seu globulos expuentis æris: cum apud recentiores, intellige æruginem æris. Notandum & hoc, quòd olim miscebant & squamam & florẽ æris: & aliquid inde fiebat quod lepida uocabant, ut patet ex Plinio. Hodie in pharmacopolijs nõ habetur flos æris. Plin. li. 34. cap. 11. desumens florem æris, sic inquit: Aeris flos medicinæ utilis est. fit enim ære fuso, & in alias fornaces translato. ibi flatu crebriore excutiuntur ueluti milij squamæ, quas uocant florem. Cadunt autẽ, cum panes æris (die kufferküchen) aqua refrigerantur, rubentq;. Similiter ex eis fit, quam uocant lepida: et sic adulteratur flos, ut squama ueneat pro eo. flos autem spomẽ

tem ſponte cadit, ſquama excutitur ictibus, iiſdē pa nibus. Hæc Plinius. Cæterū ut ſimul cum flore æris fiat fex æris, & relinquatur in imo fornacū, in ſecundo libro agemus in capite Diphrygis. Florē æris ueteris laborati Nicander prædicat in Alexipharmaca, aduerſus hauſtos fungos.

DE SQVAMA AERIS, Caput XXVI.

SQuama æris duplex eſt, ſcilicet craſſa & tenuis: Craſſa, de qua propriè loquitur Dioſcorides libro 5. capite 44. dicitur à Germanis kupfferſchlack, latum & tenue illud quod euolat per concuſsionem ab ære. Dioſcorides L. C. ſquamam æris illam ſcilicet craſſam excudi docet ex clauis Cyprijs officinarum, & dici helitin, ſiue clauarem, & illam optimam: econtra uitioſam, & damnari eam quæ ex uili promiſcuoq; ære aut candido fiat. Porrò docet et ſquamæ æris uim, & lauationem. Præterea facit mentionem ſtomomatis, quæ eſt ſquama decuſſa ex acie, aut mucronibus. Et eſt erratum illo in loco à Virgilio Marcello. Alia enim eſt res ſtomomatis hæc, quàm ſtomoma, ut mox dicemus. Altera ſquama æris eſt tenuis, & uocatur ſtomoma: de qua non Dioſcorides, ſed Plinius loquitur. à Germanis kupferbraun, keſſelbraun. λεπίς, λεπίδος. Eſtq; ſtomoma quaſi remiſſa ab ore & ſuperficie æris. inde Bachatura, à percutiendo, dicitur à recentioribus. Aliàs

uulgo (ne & hoc uidear transijsse) stomoma est ferrum purgatum, & purißimum, & chalybs, der stahel. Seu propriè est ferrum chalybe paratum in aliquod instrumentum, geståhlet eisen. Plinius libro tricesimoquarto, capite undecimo, primùm docet, squama æris crassa quomodo differat à flore æris, cum inquit: Est autem squama æris hæc decussa ui clauis, in quos panes ærei ferruminantur in Cyprijs officinis maximè omnia. Differentia hæc est, quòd squama excutitur ictibus ijsdem panibus, flos cadit sponte. Porrò idem Plinius secundo loco L. C. docet de tenui squama æris, cum inquit: Squamæ est alterum genus subtilius, ex summa scilicet lanugine, decussum quod uocant stomoma. Addit uerò idem quomodo & squama & flos æris urantur in patinis fictilibus aut æreis, deinde & lauentur. Subijcit & squamam fieri Cypriam ex candido ære, at longè inefficaciorem. Reliqua ipse uidere poteris. Cæterùm neque squamæ etiam æris nostris iam medicis notæ sunt, ut & fuerunt olim Plinij temporibus.

DE AERIS AERVGINE, Caput XXVII.

AErugo æris, uel uiride æris rasile, quod recentiores, ut in præcedẽti capite docuimus, & uocant florem æris, & χαλκοῦ ἄνθος diuisa uoce, duplex est, scilicet natiua & factitia.

Natiua, in metallis Cyprijs, lapidibus nonnihil

æris habentibus, quibus ærugo efflorescit. hæc quidē pauca & optima est, quæ etiam in nostris iam fodinis ærarijs reperitur. Spangrün, kupffergrün. Cuius & Dioscorides lib. 5. cap. 45. mentionem facit. Addit & aliā speciem manantē è specu uitiosam. docet eius bonitatem, notas, & præterea adulterationes.

Factitia, quæ fit in superficie æris, wann das kupffer so grün wirdt. Hæc triplex est, scilicet:

I. Rasilis, uel rasa, uel rasitia, quia raditur. de qua primo loco agit Dioscorides loco citato: item quomodo fiat, docet.


II. Vermicularis, scolecia. scolis enim propriè uermis est. quia in uermicularem crescit uel fit figuram. quæ iterum duplex est, fossilis scilicet & factitia. Fossilis, quæ optima, & per se rasa ab lapide ærario est. de qua uide Plinium libro tricesimoquarto, capite duodecimo. Hanc quidam disputant uitrioli aut aut chalcitidis esse speciem, aut ipsam esse chalcitin. Verum est profectò, magnam cognationem esse ærugnis æris, præcipuè natiuæ, id est χαλκοῦ ἄνθος: & deinde chrysocollæ & uitrioli, id est calchantum ipsum. Sed an hæc fossilis scolecia uermicularis sit uitrioli, aut chalcitidis species, uel chalcitis ipsa, uel aliquid medij, in medio relinquo. Tu optime lector illa bene considera, & Plinij sententia quæ sit, iudica. 2. Factitia, cuius modū faciēdi docet Dioscorides & Plinius loco citato.

III. Aurifabrorum. quæ quomodo fiat & conficiatur, ab eodem Dioscoride loco citato traditur. & hæc est Santerna, & iam utuntur pro illa alumine. Quidã hanc uocant Tincar, uel Boracen Arabicè. Cæterùm quid tincar propriè sit, suo loco dicemus de chrysocolla. Est autem hæc ærugo aurifabrorum nihil aliud quàm factitia chrysocolla. & hanc Plin. chrysocollæ nomine cõplectitur libro tricesimotertio, capite quinto. Consule & eundem li. 34. capite 11. & 12.

Omnes hæ species respondent usto æri. astringunt, extenuant, excalfaciunt, ut omnes solent facere ærugines. Cæterùm quomodo adurantur, uide Dioscoridem loco citato. Iam nostro tempore tales ærugines multũ fiunt in Hispania. Arabes, ni fallor, & omnes tales ærugines uocant generali nomine zincar. Hæ sunt, optime lector, species æruginis æris, quantum ad ipsum Dioscoridem, Plinium, & alios. Verùm si acutè cõsideras, sunt & aliæ species, ab his non adeò obseruatæ, quas in sequenti schemate proponemus. & considera nostrã diligentiam & immensum laborem in his colligendis.

Aerugo

SCHEMA.


Aerugo, seu uiride æris est
Rasile
natiuum kupffer-grün
factitium
1 rasile
2. uermiculare
fosile
factitium
3. aurifabrorum
Scißile
natiuum, quæ est chrysocolla, id est glutinũ auri, de qua agemus infrà lib. 2. de chrysocolla.
factitium, quod est illud aurifabrorũ uiride rasile, & est chrysocolla factitia.
Idem sunt.

DE FERRO, Cap. XXVIII.

FErrum est metallicum, liuidum multum, parum rubeum, albedine non pura, participans, durum. Nam si sulphur fixum, terreum, argento uiuo, fixo, terreo commixtum fuerit, & hæc ambo nõ puræ, sed liuidæ albedinis fuerint, si superat sulphur, fit ferrum. In summa, si argentum uiuum fuerit porosum, terreum & immundum, & sulphur etiam immundum, fœtidum, & terreum, & fixæ substantiæ (tanquã si penè morbidus, cum matre menstruosa coit) generatur ferrum. Tribuitur autẽ istud metallum à chimistis Marti, & Mars dicitur, utpote cuius usus plurimum sit in bello. Germani uocant eysen, Græci uerò σίδηρος. Hunc lapidem sideritin quidam uocant scoriam ferri. licet hoc nomine et appellatur magnetes, qui trahit ferrum. Porrò ferrum est duplex, scilicet natiuum, & conflatum seu excoctum. Natiuum est purum, & reperitur in fodinis, grana ueluti seu massa. à Germanis, gedigen eysen. Alterum autẽ conflatum seu excoctum est id, quod excoquitur in officinis ferreis, vff den hamerschmitten: idq; duplici modo apud nos in Germania, scilicet: Aut ex lapidibus ferreis, auß dem eysenstein, oder ertz ut fit circa patriã meam, præcipuè in ualle quæ à regibus nomen inuenit, & alijs locis quàmplurimis. Et notandum est etiam hoc quoq;, quòd in eadẽ

uena

uena ferri, non rarò reperiuntur magnetes gemmæ: adeò illi concordia est cum ferro. Deinde excoquitur etiam ferrum ex terra rubra ferrugine quasi læsa: à Germanis eisen erde. ut fit in Silesia, item in Marchia. ut aliquando uidi nõ procul à Berlinijs, ubi sedes Marchionum, in officina quæ ab artifice dicebatur Niciana. profectò dicere fermè ausim, quòd sicuti pyrites alius est solidus & adunatus, durus: alius est frangibilis, & facilè teritur: ita ferri lapis ille alius est solidus (ut in patria mea) & magis excoctus, & calore induratus: alius est frangibilis, & quasi terra rubigine læsa, nondũ indurata in lapidem ferri imbecillitate caloris, licet tam frugifera sit ferri quàm ille lapis solidus, ut illa Silesiaca & Marchitica Niciana terra. Sunt autẽ fodinæ ferri, antiquissimæ fodinæ, ut Tacitus refert, qui Gothinos coluisse docet ferri fodinas, eosq; usos lingua Gallica. In Germania etiã primæ fodinæ fuerunt ferreæ. Cæterùm quod nam ferrum sit bonum, quod ue malum, commendo fabris ferrarijs. In patria mea commendatur, ni fallor, Dylmeracense: ecõtra damnatur uitraceũ, ut uocant glaßeisen, quod facilè ad incudem frangitur elisione. De speciebus ferri, & metallis ferreis, consule ipsum Plinum libro tricesimoquarto, capite decimoquarto & decimoquinto, &c. Dioscorides libro quinto, capite quadragesimosexto, de rubigine ferri, von dem eisenrost, ac eius uiribus agit. ha-

bet enim rubigo ferri egregiam uim medicam restringendo, ligando, siccando. calid. & sicc. secundo gradu. Hac sanasse Telephum proditur Achilles. Ad quod & alludit Ouidius libro primo Tristium, elegia prima:

Nanq; ea uel nemo, uel qui mihi uulnera fecit,
  Solus Achilleo tollere more potest.

Porrò Dioscorides loco citato & agit de recremento ferri, von dem eisenschlacken: quod et uocant scoriam, & stercus ferri, & lapidem sideritin, Saxones uocant sunderstein. Sicuti enim omnia illa maiora metalla, quando coquuntur, habent recrementum, schlacken, ita & ferrum habet. Sic dicimus:

Recrementum { æris, kupfferschlacken.
argenti, silberschlacken.
ferri, eisenschlacken, sunderstein
plumbi, bleischlacken. }

Eandem uim habet quam rubigo, recrementum ferri, sed inefficacius. Sic & ferri squama latum illud & tenue quod euolat per percußionem à ferro, der hammerschlack. Cæterùm de his et eius uiribus consule & Arabes, Serapionem libro Aggregat. capite Haid. Nicander scoriam ferri uocat fecem ferri, & prædicat illã ualere cõtra aconiton. Quod et transtulit in suum Dioscorides, more solito.

DE

DE PLVMBO NIGRO, Caput XXIX.

PLumbũ à chimistis tribuitur Saturno, & eius nomine appellatur. Estq; corpus metallicum, liuidum, terreum, ponderosum, parua participans albedine. multum habet de substantia terrea, & in stannum per lauationem uertitur. Hinc patet stannum quiddam esse perfectius plumbo. & plumbum plus habet de substantia sulphuris fixi, ad compositionem suam, quàm Iuppiter, id est stannum. plumbum enim est corpus immundum, imperfectum ex argento uiuo, impuro, non fixo, terreo, feculento, aliquantulum albo in manifesto, sed rubeo in occulto, & ex tali sulphure adustibili procreatum ex aliqua parte. Deficit illi puritas, fixatio, color, ignitio. In summa, argentum uiuum, malum, grossum, mali saporis, & foetidum, debilis uirtutis, tanquam menstruosa mater initur à sulphure marito leproso aut liuido: & Saturninus ille frigidus nascitur filius, cui nomen est plumbũ. Nota autem quòd plumbum purum, gedygen blei, cuiuscunq; coloris nõ reperitur in fodinis: neq; legi, uidi, audiui inueniri in fodinis. Estq; plumbum, nempe quod excoquitur, triplex, scilicet: nigrum, quod uerũ est plumbũ: deinde est cinereum, & candidum. De plumbo nigro, von dem blei, agimus in hoc capite. à Græcis μόλυϐδος dicitur: fitq; & excoquitur ex galena, de qua mox dicam.

dicam aut fit ex pyrite, de quo actum est suprà. Cæterùm quomodo fiant plumbum elotum & ustum, & quæ sint illorum uires in medelis, consule Dioscoridem lib. 5. cap. 47. & 48. Plumbum elotum habetur iam in quibusdam officinis, contra ulcera inflammata, & cancrum. Quædam officinæ omnino illo carent. Plumbum uerò crematum habet uires efficaciores, eloto plumbo. & figuli illo plurimum utuntur ad pingenda uasa sua. Potest & eadem quæ plumbum ustum, scoria seu recrementū plumbi, der bleischlacken. quorum magna est copia Goselariæ, itē in Misnia ad officinas, ubi metalla excoquuntur. Cōsule Plin. lib. 34. cap. 16. et sequentibus.

DE PLVMBO CINEREO, Caput XXX.

PLumbum cinereum, species plumbi, à Germanis dicitur wisemut, mythan, oð conterfeyn. Et distat à nigro & candido plumbo colore. Estq; quasi sui generis metallum. Nobilius quiddam est plumbo, deterius argento: et quasi est medium inter species plumbi, & ipsum argentum. Metallum eius unde conflatur, simile est galenæ, unde coquitur plumbum nigrum: sed differt à galena in illo, quòd inficit manus tractantis nigrore, nisi planè sit solidum. Porrò solidum cum est, friabile non est, ut galena ipsa, sed secatur. Est & nigrius aliquanto, genere argenti rudis secundæ speciei, quæ est plumbei colo-

coloris, licet in se et illud metallũ cinerei plumbi nõ rarò aliquid argẽti cõtinet: et quo loco effoditur, argentum plerunq; subesse significat: & propterea tectum argenti à metallicis dicitur. Hinc conflatur quod uocant Conterfeyn, Wyßmuth, od mythan. unde fiunt & nunc conflantur res uariæ, ueluti ex argento, ut pocula, uasa, & alia. Conficitur etiam hinc genus cœrulei. Hoc metallicũ omnino nesciuere Arabes, nesciuere chimistæ, aliàs plura fecissent corpora metallica.

DE PLVMBO CANDIDO, Caput XXXI.

VEluti plumbum nigrũ uocatur à Germanis blei simpliciter, od schwartzblei: ita plumbũ candidũ ab his uocatur weißblei, od ziñ. Impropriè autem plumbum hoc nostrum candidum ziñ, stannum dicitur. & non sunt idem, ut hactenus uoluerunt, stannum & plumbum candidum, vnser ziñ. Aliud est stannum, de quo mox agemus: & aliud plumbum candidum nostrum, vnser ziñ, quod nigro plumbo quasi est quiddã purius & perfectius. Plinius hoc caßiterium uocat à Caßiteride insula, ubi hoc primùm est inuentum à Mydacrito. Conflatur iam apud nos ut plumbum nigrum tum ex pyrite, tum ex galena, auß dem kyß vnd glantz. Coquitur etiam ex lapillis nigris candore (ut & uult Plinius libro tricesimoquarto, capite decimosexto) ua-

riatis, qui lapides nigri nonnullis locis magni reperiuntur: interdum uerò tantum ut arena. His quoq; nigris lapillis interdum pyrites, & saxi genus arenosum, & alia commixta reperiuntur, interdum mixta, interdum distincta. Plinius candidum plumbum in Britãnia, item in Galecia & Lusitania prouenire scribit, cum in Galecia minimè fiat nigrum. Idem Cæsar de bello Gallico lib. 5. candidum plumbũ in Britannia prouenire testatur. Accedamus sanè ad caput de ipso stanno, in quo plura de plumbo candido dicemus.

DE STANNO, Cap. XXXII.

IN præcedenti capite indicauimus aliud esse stannum, aliud esse plumbũ candidũ. Illa ergo definitio plumbi candidi, deß zinnes, etiã apud chimistas, nõ de stanno, sed de plumbo candido (ut mihi uidetur) intelligenda est, cum dicunt: Stannum (es sol heyßen plumbum candidum) est metallicum albũ, non purum, liuidum, terreitate pauca, participans ex argento uiuo, puro, fixo, & non fixo, claro, albo in suo manifesto, & rubeo in suo occulto, & de tali sulphure deficit ei sola decoctio, siue digestio. Nam si sulphur fuerit in radice cõiunctionis, fixione pauca, participans album, albedine non pura, non superans, sed superatum, cum argento uiuo, secundum partem fixo, albo non puro commixto, fit inde stannum

num (es sol heyssen plumbum candidum) sulphur malum, nō bene mixtum & congelatum, quasi leprosus aut liuidus pater coiens, cum matre quasi puriore, argento uiuo, non admodum puro tamen, nascitur filius inde aliquo modo formosus: sed tamen non generosus, scilicet plumbū candidum. Ridiculi chimistæ stannum semper intelligunt zinn nostrum: at magno errato. & illud tribuunt Ioui. appellantes stannum Iouem, cum plumbum candidū Iouem intelligamus. Dices, Ergo quid est stannum, cum non sit plumbum hoc candidum nostrum, vnser zinn? Respondeo, primùm Serapio lib. Aggregat. capite Femezeg, id est, stannum effodi dicit ex mineris terræ, et inueniri frustis (si credendum est:) plumbū uerò nostrum candidum, nunquam, ut dixi, in fodinis reperitur purum, per se: sed fit ex galena, & pyrite, & lapillis nigris, &c. Porrò Plinius (nam reliquos taceam certis de causis) libro 34. cap. 16. cum inquit, plumbi nigri duplicem esse originem, scilicet, primò quod proueniat in sua uena, aut quod nascatur cū argento, apertè docet plumbi nigri liquorem in fornacibus qui primum fluit, stannum appellari: cum prius docuerit album plumbum conflari ex lapillis nigris candore uariatis. Insuper idem eodem libro, cap. 17. stannum adulterari docet plumbo albo seu candido, item albi plumbi nigriq; libris. Sic uides stannum, secundum Serapionem, metallicum esse

cum esse quod reperitur in sua propria uena, ut forsi tan apud nos bisemutũ: ecõtra nostrũ candidũ plum bũ, est Plinij candidũ plumbũ, das zin, quod cõflatur ut plumbum nigrum, ex pyrite, galena, & lapillis nigris. Deinde uides stannum Plinio esse quiddã de plumbo nigro, nempe primum fluorem plumbi nigri, als wann man vnser bley ertz schmeltzet, das erst das do fleüsset, wäre Plinio stannum. Et hoc docet Plinius adulterari plũbo candido, mit vnserm zinn. vnd wann du ihm recht nachdenckest, so ist stannum Plinio schier wie vnser halbwerck, daruon die kannen gemacht werden, das man halbwerck heist. Accedant sanè nunc alchimistæ, accedant & alij qui candidum nostrum plumbum uolunt esse stannum, & sic etiam interpretantur stannum zinn. Nolo alia adducere propter breuitatem: hæc enim satis firma credo. Intelligite nunc alchimistæ in uestris libris Iouẽ stannũ, id est zinn, quod est plumbũ candidum: & egregiè intelligetis Arabes, & bonã componetis lunam. O ir losen vngelerten, vnckenbrenner. Stannum proculdubio Arabibus metallum est preciosius nostro candido plumbo: sicuti apud nos est bisemuthum quiddam plumbo preciosius. Si quis tamen erit, qui me uincet euidentioribus argumentis, huic possum cedere, stannũ esse plumbum candidum, vnser zinn. quod nix fiet.

DE

DE STIBIO,
Cap. XXXIII.

STibium, uel stimmi, uel antimonium, uel platyophthalmon, est metallũ uel minera quæ à Germanis dicitur spyßglaß. & antimonium uolunt esse substantiam plumbi emortui. Reperitur & hoc in nostris fodinis, ut Persibranæ. Interdum in propria uena effoditur, ut fit in magna copia, cùm in alijs locis, tum Fichtenbergi, in quo monte quatuor illa egregia flumina oriuntur, Mœnus, Sala, Aegra, Nabus. Interdum argento permixtum est, & ita ut nõ nisi igne separetur. Hoc si sæpius liquefit, transit in plumbũ. Vis eius est restringere & refrigerare principaliter. Conuenit medicamentis oculorum, proptérea & dicitur platyophthalmon. Dioscorides libro quinto, capite quadragesimonono eius uires, & modum torrendi, adurendi, lauandi docet. Sunt & qui stibi uocant & alabastrum, à splendore forsitan. & inde fit unguentum alabastrum, longè tamen aliud, ne erres, nec simile quidem isti apud ueteres unguento alabastri, quo unctus legitur Christus. Plinius libro tricesimotertio, capite sexto, stibium in ijsdem argenti metallis inueniri docet, & esse lapidem spumæ candidæ nitentisq́; , non tamen translucentis. Cuius duo genera, scilicet mas & fœmina, quæ magis probetur. & addit, marem esse horridiorẽ, & scabriorem, & minus ponderosum, minusq́; radiantem, &

arenosiorem. Ecõtra fœminam nitentem definit esse friabilem, fissuris, non globis dehiscentem. Quæ discrimina optimè possunt demonstrari & in stibio de nostris fodinis.

DE MOLYBDENA SEV PLVMbagine, Cap. XXXIIII.

PLumbago, galena, & molybdena, unum & idem sunt. idq; sic probamus: Primũ ex plumbagine nostra fossili, auß dem glantz, bleiertz, oder bleischweyff. Friburgi in Misnia, Goselariæ etiam, & multis alijs locis iam coquitur plumbum nigrũ, & argentum etiam id quod Plinius lib. 34. cap. 18. in molybdena et galena fieri inquit. Ergo nostra plumbago vnser glantz, est galena, & molybdena. Secundò, allusio uocabuli testatur idem esse. Nam quod Plinius libro triecesimotertio, capite sexto, aut Hispani galenam uocant, nos iam glantz dicimus. non autem galena uocatur, ut uult Marcellus, interpres Dioscoridis aliàs non indoctus, à Galecia. Nam Plinius negat lib. 34. cap. 16. in Galecia plumbum nigrum fieri: quod tamen fit ex galena. Tertiò, plumbago nostra est coloris potissimũ plumbi: atq; ob id græcis molybdena, & latinis meritò plũbago dicitur, uel lapis unde fiat plumbũ. Sicuti aũt lapis plumbarius (ut & hoc obiter indicẽ) dici potest, ita uena plũbaria, et terra plũbaria, & materia unde fit plumbũ, rectè dicitur. Quartò, Plinius nihil habet de lapide molybdoide

lybdoide, de quo tamen ſcribit Dioſcorides, & contentus fuit nomine galenæ. ergo galena, & etiam molybdoidis lapis Dioſcoridis, unum & idem ſunt. Quintò, Galenus & molybdenam natiuam lapidis ſpeciem, proiectam riuis uidiſſe ſe ait: nec ſeorſim lapidis plumbarij mentionem facit, quia pro iiſdē habuit. Ergo molybdena & lapis plumbarius idem ſunt. Sextò, idem Galenus in libro qui de Compoſitione medicamentorum inſcribitur, ait è ceruſſa et lithargyro, alba, et è molybdena ſubfuſca, & quæ cineraceo colore ſint, cōfici ὑπέλαιον: et hoc ex noſtra galena, non quidē flaua, ſed plumbea confici poteſt. Ergo galena & molybdena unum & idem ſunt. Septimò, Dioſcoridi galena noſtra quæ plumbi colore eſt, lapis μολυβδοειδὴ, dicitur, quia ſit ſpecie plumbi, & materiam plumbi in ſe continet. & habet eaſdem uires cum plumbo loto, & recremento plumbi, & eodem modo lauatur. & differt à molybdena natiua ipſius Dioſcoridis, colore tantum, non materia. Nam molybdenam ſuam foßilem flauam ſcribit eſſe, & ſplendentem. at color mutari facilè poteſt in plumbagine, diuerſis uaporibus è terræ uiſcerib. excitatis. Sic apud nos in noſtris fodinis galenæ reperiuntur coloris nigri, cœrulei, & iocinoris. Sic et flaua reperiri poteſt proculdubio calidis regionibus. & reperitur apud nos in fodinis galena quæ obducta eſt flauo colore, quæ forſit ī eſt illa molybdena

 Dioſcoridis.

Dioſcoridis. Et flauũ hoc quo conſpergitur ſeu tingitur illa galena, interdũ reperitur ſeorſim in uenis, calore terræ, nonnunquã ita temperatum, ſplendẽs potiſsimum ſi diffindatur, ut uideatur aliquid metalli in ſe continere. Arabes nihil ſciuere de molybdena, aut eandem cum lithargyro eſſe credidere. ſunt enim ſimiles temperamento. molybdena tamen frigidior eſt paulo, & magis denſarum partium, nec habet uires abſtergendi. Serapio nihil aut parum habet de molybdena. Vide lib. Aggregat. cap. Haſas. Si uerò aliquam uis habere differẽtiam, uel aliquod diſcrimen, plumbarium dic lapidem molybdenam, cum ſolum continet plumbum: econtra cum plumbum & argentum continet, dic eſſe galenam. Cum ergo unum & idem molybdena, plumbago, & galena, nota quòd galena ſeu molybdena ſit duplex, ſcilicet natiua & factitia.

Natiua foſsilis, quæ iterum duplex eſt, ſcilicet: I. frugifera, quæ eſt uena uel ſolium plumbi: et tunc uerè lapis plumbarius dicitur Plinio & Galeno. Plinius & lib. 33. cap. 6. galenam uenam plumbi uocat quæ iuxta argenti uenas reperiatur. Deinde uel uena eſt communis argento & plumbo nigro, man ſchmeltzet blei vnd ſilber darauß. & tunc uerè eſt galena. Hæc frugifera iterum eſt duplex: quo ad colorem, non quo ad materiam. ſunt enim eiuſdem materiæ, ſcilicet alia eſt coloris 1. plũbi reſplendentis,

& hæc

& hæc est nostra plumbago, seu galena, seu molybdena Plinio. Dioscoridi autem est μολυβδοειδὴς lapis. à Galeno uena, terra, seu lapis plumbarius dicitur, & riuulis nonnunquam reperitur. 2. alia flaui, & splendentis: quemadmodum describitur & celebratur à Dioscoride. inuenta ad Sebastiam & Coricum, & etiam à Plinio libro 34. cap. 18. ubi meliorem inquit esse molybdenam seu galenam, quando magis aurei sit coloris, quanto minus plumbosa & friabilis, & modicè grauis sit. in calidis regionibus forsitan tali colore tingitur, uaporibus è terræ uisceribus excitatis. Nam si acutè plumbaginem nostrã cõsideras, quo ad colorem, quomodo tincta sit coloribus in terræ uisceribus, per uapores, inuenies in nostris fodinis plumbaginem coloris 1. nigri, schwartzer glantz. 2. cœrulei, grawer glantz. 3. iocinoris, leberfarb glantz. 4. flauo obducta colore, quæ est illa forsitan Dioscoridis. A' Germanis omnes hæ species dicuntur generali nomine, bleiertz, glantz à splendore, bleischweyff, &c.

II. sterilis, nullius momenti, colore nõ absimilis frugiferæ, sed prorsus est sterilis, & totam uis ignium consumit.

Factitia, quæ fit opere fornacum, adhærescit auri & argenti fornacibus: quam Plinius libro 34. cap. 18. uocat metallicam, quæ quondam laudatissima in Zephyrio fuit. à Germanis dicitur Thest, oder herd

 kleien,

kleien, à nonnullis & silberglede, propter cognationem quam habet cum spuma argenti: impropriè tamen sic dicitur. Plinius etiam libro 33. cap. 6. etiã spumæ argenti speciem facit, quam molybditim uocat. De illa factitia plumbagine & Dioscorides agit libro quinto, capite 50. quòd sit æmula argenteæ spumæ, quæ ex auro & argento fiat: estq; fex argenti. Ex hac quoq; fit υδρέλαιον emplastrum, ut ex natiua galena. Sed nota quòd hæc metallica, igne cũ coquitur, liquescit. Spuma enim est & defluit. natiua uerò minimè liquescit. Præterea hæc metallica cocta oleo, ut docet & Dioscorides, colorẽ iocinoris accipit, & nõ natiua. ut Plinius uult loco citato, qui malè illum Dioscoridis locum transtulit, cum inquit: Natiua cocta oleo, iocinoris colorem trahit. Postremò nota & quod Syluaticus in Pandectis suis molybdenam plumbum ustum, & stercus plumbi uocat. Verùm quomodo hæc conueniant, tu uide. molybdena illa nequaquam est plumbum ustum, nec stercus plumbi, id est scoria: sed est residuum (si modò sic sit dicendum) ex plumbagine quæ continet argentum et plumbum, quod adhærescit fornacibus. & Plinio placet, quòd iterum coctum fit plumbum. Syluaticus illo in loco errat, &c. Cæterùm quæ sint uires plumbagini, item quomodo uratur, lauetur, uide ipsum Dioscoridem, & Plinium loco citato. Item de excoctione eius consule eundem libro 34. capite 16.

cum

cum inquit: Plumbi nigri duplex est origo: aut enim sua prouenit uena, nec quicquam aliud ex se parit: aut cum argento nascitur, mixtisq; uenis conflatur. eius qui primus fluit in fornacibus liquor, stannum appellatur: qui secundus, argentum: qui remansit in fornacibus, galena appellatur, quæ portio est tertia addita uenæ. hæc rursus conflata, nigrum dat plumbum, deductis partibus duabus. apud nos, nisi fallor, prima concoctione argentũ separatur, & plumbũ in lapidẽ coagulatur: qui deinde iterũ coquitur, & fit plumbũ. sed hæc committimus metallorũ coctoribus.

DE CERVSSA, Cap. XXXV.

CErussa à Græcis ψιμμύθιον καὶ ψίμυθος, à Germanis bleiweiß, uenenum est sumpta intra corpus, ut docent Dioscorides & Nicander, frig. & sicc. 2. grad. Est autem ferè omnibus nota cerussa, et in pharmacopolijs retinet nomen suum bleiweiß. Nam ex plumbo uel albo, uel nigro fit puluis: uel ut alij etiam uolũt, ærugo, cerussa. Sic enim definiunt, quòd cerussa sit ærugo, aut cinis plumbi. si ex plumbo albo fit, Hispanica dicitur, & est candidißima. hodie etiam Venetijs & Nurẽbergæ fieri uidemus. olim laudatißima fuit, quæ parabatur in Rhodo, Corintho, et Lacedæmone. At quomodo fieri debet, docet idem Dioscorides li. quinto, cap. quinquagesimo tertio. addit et quomodo torreatur donec similis fiat sandaracæ, quæ deinde dicatur sandix, à Germanis

rhote zur schmincke. fitq; species sandarachæ factitiæ, der berckrote, ut uult Vitruuius. Porrò & auripigmenti rubei, cuius species est minium nostrum illud adulterinum ex plumbo, vnser mennige: de quibus tamen infrà suis locis plura agemus. Vide Serapionem li. Aggregat. cap. Asreg. Ita uides sandicem non tantum herbam esse, ut quidã uoluere. Et quidem Seruius ipse super illud Vergilij in Pollione:

Sponte sua sandix pascentes uestiet agnos.

Et Propert. Illáq; plebeio uel sit sandicis amictu.

Forsitan iuxta Plinium lib. 21. capite 15. ubi tamen scandix non sandix legitur: & libro 35. cap. 6. Sed etiam sandicem metallicum esse uides, & quidem cerussam certo artificio torrefactam, similem sandarachæ: quam cerussam Plinius uocat adulterinam, lib. 35. cap. 6. Cæterùm quomodo cerussa & lauetur, consule eundem etiam Dioscoridem: & de eius uiribus Serapionem libro Aggregat. cap. Assidhegi: Auicennam libro 2. cap. Cerussa: Plinium libro 34. cap. 18. & libro 35. cap. 6. Leuißima omnium cerussa ad candorem fœminarum etiam adhibetur. Vnde Ouidius de Medicamine faciei inquit:

Nec cum cerussa, nec uitri spuma rubentis
Desit, &c.

Hæc breuiter de illis metallis maioribus, et rebus ad ea pertinentib. agere uoluimus. pergemus nunc ad metalla media, ut uocant, seu remota & spiritus metallorum, & aduenantia spiritus.

CHRISTOPHORI ENCELII SALVELDENSIS DE re Metallica Liber Secundus.

DE ATRAMENTO SVTORIO, *seu uitriolo, Caput I.*



Actenus in libro primo egimus de corporibus metallicis maioribus, & de rebus ad ea spectantibus. In hoc autem secundo libro agemus de corporibus metallicis medijs seu remotis (ut uocant chimistæ:) item de fumis & spiritibus, & de adiuuantibus spiritus. Incipiam ergo, & nunc dicam de atramento sutorio, id est uitriolo. Atramentum sutorium nihil aliud est quàm uitriolum, id est chalcanthum, hoc est, quasi flos æris: non autem est χαλκοῦ ἄνθος *diuisa uoce, id est, æris flos ipse, de quo in 1. li. egimus: seu ærugo æris, quæ etiā flos æris dicitur, iuxta recētiores. Sed hoc* χαλκοῦ ἄνθος *dicitur quasi æris flos. Alia enim res est æris flos ipse, aut ærugo æris, quæ etiā tali nomine uocatur: et alia res est* χαλκοῦ ἄνθος, *id est uitriolū. Hinc Plin. li. 34. cap. 12. Græci cognationem fecere, æris nomine & atra*

mento sutorio. appellant enim calchantum: sicuti est quædam cognatio inter uitriola & æris æruginem, quam æris florem etiam dicunt. Dicitur uerò atramentum sutorium ipsum uitriolum, quod olim eo coria sua tingebant sutores, & alij opifices qui corio utuntur. Sed quia acre facilè corrodit calceamenta, à sutoribus atramentũ aliud est excogitatũ, quo tingunt coria, nempe ex ferro, vnser schůster schwertze. Sed apud ueteres atramentũ sutoriũ, intelligendũ est uitriolũ, metallicũ illud, quod nihil aliud est, quàm aqua congelata, & assumpta natura æris, diuersam habens naturam & formam, secundum naturam lapidis cui adhæret. Seneca præclarè disputans de fontibus & fluminibus, inquit terram uarios continere humores, & etiam spiritus instar humani corporis, ubi humorum uaria genera, scilicet, ubi alij necessarij sint, alij corrupti, alij pinguiores, alij qui maturè durantur. Hinc est omnis huius metallorum, ut aurum, argentum, & qui in lapidem ex liquore uertuntur: sicuti sunt talia metalla, de quibus iam agimus, quæ chimistæ non iniuria uocant spiritus, qui sunt contrarij fluoribus: de quibus libro tertio agemus. Sed redeamus ad institutum. Dioscorides libro quinto, capite sexagesimoquarto, genere quidem unum & idem esse dicit atramentum sutorium, molle & concretum: sed in specie esse triplex, scilicet:

I. Primum

I. Primum quod cõcrescit humoribus collatis stillatim in cuniculos, quod stillaticium uitriolum uocant, qui Cypria perficiunt metalla: alij pinarion et stalacticon, id est, stillaticiũ dicunt. à Germanis iam hæc species dicitur gockel gůt.

II. Alterum quod fit in speluncis, simplici ratione postea transfusum in excauatos scrobes, concrementum capeßit: & pecton, id est concreticium & congelatum uitriolum uocant. Et hæ duæ species sunt natiuæ, & differunt glebis, & ratione formationis: à Germanis dicuntur aliàs kupfferrauch, quasi fumus æris, seu pyritis, in ipsis fodinis concretus seu congelatus. Harum uires conueniunt medicinæ: astringunt enim, & calfaciunt, & crustas inducunt. Secundum colores uerò natiui atramenti sutorij seu uitrioli sunt tres species, scilicet 1. uitriolũ aliud est candidum: cuius non facit mentionem Dioscorides: sed Plinius libro 34. capite 12. hoc propter candidum colorem, uel coloris similitudinem. uiolam leucoion idem Plinius appellari dicit, & illo pingere fullones: atq; in hoc transeunt melanteria & sory. Cæterùm uiola leucoion, Theophrasti & Dioscoridis nota flos est medicis. 2. uiride. 3. cœruleum: cuiusmodi Dioscorides loco citato stillatitium docet esse optimum: scilicet quod graue, cõcretum & translucens sit. Ab alijs & hoc dici ait Lonchoton, quia quasi lancea nascitur: cui proximum

ſit concretitium. Modum urendi iſtorum docet Dioſcorides in Chalciti. Et magna eſt profectò cognatio, ut docuimus ſuprà, floris æris, id eſt æruginis æris: ſecundum recentiores & chryſocollæ, & uitriolorum.

III. Coctile factitium eſt in Hiſpania: cuius parandi modum loco citato docet Dioſcorides. & hoc aptiſsimum dicit ad infectus & denigrationes, præ cæteris natiuis. à Germanis dicitur kupfferwaſſer. Eſt autem hoc factitium ſimplex, & racemoſum quaſi, efficaciſsimum, quod cœruleum colorem habet.

Plin. lib. 34. cap. 12. chalcantū, id eſt uitriolū, & atramentum ſutorium diuidit etiā in

- Natiuum foßile,
  - 1. quod fit ſcrobe cauato.
  - 2. quod fit in ſaxorum catinis.
  - 3. quod fit ſalis, modo, flagrantiſsimo ſole, admiſsis dulcib. aquis, cogēte.
- Factitium: quod in Hiſpania ex puteis, ſtagnis ue fit, habentibus id genus aquæ, unde natiuæ fiant.

Arabes uerò atramentum simpliciter zeg uocant. & has atramēti species faciunt:

1. Zeg nigrum, id est atramentum nigrum: & hoc est marchasita, id est pyrites. Nam marchasita, seu pyrites dissoluta, facit encaustrum: quod uocatur à Serapione zeg nigrum: quod & cum uino uel aceto soluitur in nigrum colorem. & ab Auicenna lib. 2. cap. de Atramento, uocatur atramentum album, quia non dissolutum uidetur albi esse coloris.

2. Zeg colcotar, uel chalcitis, uel zegi: de quo mox agemus. Citrini est zeg coloris, seu æris, secundū Dioscoridem, & dicitur zeg, id est, atramentum citrinum. ex illo fit quarta species, quæ dicitur zeg rubrum, uel rubeum, id est atramentum rubeum, uel rubrū: & uocatur Asuria.

3. Zeg uiride, seu atramentum uiride: & est calchantum, id est uitriolum, de quo iam hic agimus: & hoc est atramentum sutorium.

Serapio

Serapio in capite zeg, sese uidisse testatur in fodinis zeg nigrum, id est marchasitam, id est pyriten: & deinde colcotar, id est chalcitin: & zeg uiride, id est uitriolum, uel chalcantum, unà coniunctim. Et dicit has tres species diuersificari adinuicē in subtilitate & grossitudine. Quoniam quod ex his sit grossius, inquit, est zeg nigrum, id est pyrites: quod uerò subtilius, est zeg uiride, id est chalcantum, seu atramentum sutorium: colcotar uerò, id est chalcitis, existit medium inter hæc duo. Præterea zeg uiride, id est, chalcantum & colcotar, id est chalcitis, soluuntur & liquefiunt igni. zeg nigrum uerò, id est marchasita, non facilè soluitur, non facilè liquefit. Solidum est, zeg uiride, id est chalcantum, seu atramentum sutorium, tanquam subtilius, præcipuè Cyprium facilè mutatur in misy. & exterior eius pars interdū tempore transit in chalcitin, cum intus adhuc sit atramentum sutorium. Estq; pulcherrima hæc transformatio mutua. Talia metalla natiua, ut sunt chalcantum candidum, seu uiride, seu cœruleum, quod est in colore: deinde etiam chalcitis, quæ æris: misy, quod auri: sory, quod melāteriæ ferè est coloris: quorum toties Galenus meminit, et utitur in emplastris, nec minus alij ueteres: quæ olim laudatissima et uulgaria fuerunt in Cypro: non scio an iam in nostris fodinis argentarijs inueniātur: licet non nego posse in his inueniri, si quis diligenter perscrutaretur.

At

At in fodinis ærarijs (licet non crebro etiam) reperiuntur, ut Goſelariæ, & alijs locis. Cum olim in patriam rediero, inquiram illa in antiquißimis illis ærarijs fodinis, ad Salam. Profectò aliquoties miror, quòd ubicunq; marchaſita, id eſt pyrites ſit, ibi hæc omnia metalla fiunt, chalcantum, chalcitis, miſy, ſory: & omnes hæ ſpecies etiam denigrant: unde & atramenta dicuntur. Eſt autem chalcantum, cal. & ſicc. 4. grad. ſecundum Paulum.

DE CHALCITIDE,

Caput II.

MArcelli Virgilij translatio ſpeciem pro genere ponit, cum inquit lib. 5. cap. 65. Chalcitis lapis eſt unde æs coquitur. nam hoc uocabulo generali multæ intelliguntur & ſignificantur res et ſpecies, ut una eſt lapis chalcitis, id eſt lapis ærarius, id eſt marchaſita, ſeu ipſe pyrites, unde æs coquitur: quem Macer & Meſua lapidem ſtellatum dicunt: ut de pyrite primo lib. docuimus. Altera eſt ſignificatio chalcitis, quod ſignificet chalcitin, trichitin, id eſt alumen capillare, & ærarium quod in pyrite concreſcit. Hinc chalcitis aliquoties alumen dicitur concretum, ſchiſton. aliàs uide Plinium lib. 35. cap. 15. Et hinc Arabes aliquoties ſimul mentionem faciunt colcotar, id eſt huius chalcitidis, de qua hic agimus: & chalcitidis, id eſt aluminis, ut legitur apud Serapionẽ & Meſuam, qui in Trociſcis

de

de croco, ni fallor, ponit colcotar, id est chalcitin, de qua hic agimus, & chalcitin, id est alumen, schiston. Sic Dioscorides chalcitin, id est alumen aduri dicit more chalcitidis, id est chalcitidis de qua hic agimus. Vltima & propria est chalcitidis significatio. Hæc illa ipsa chalcitis, de qua hoc loco loquimur, quæ est species calchāti, id est floris quasi æris, atramenti sutorij, id est uitrioli. Estq; medium inter calchantū, id est uitriolum, et inter marchasitam, id est pyritem. Hæc uerò chalcitis species calchanti duplex est, scilicet natiua & factitia.

Natiua, quæ rursus est duplex, scilicet Cypria et Babylonica. Cypria, quæ æris ruborem habet: unde & nomen accepit, ut Plinius dicit lib. 37. cap. 11. Hanc describit Dioscorides loco citato, quòd sit similis æri, friabilis, nec lapidosa, nec inueterata, intercursantibus oblongis uenis splendētibus. Ita hæc potius deberet dici lapis stellatus, quàm marchasita. & hoc est zeg, id est atramentum citrinum coloris citrini, uel æris, et est colcotar: uel zegi. unde Arabes dicunt, quòd quarta species fiat Asuria, atramentum rubeum. Sed hoc colcotar atramentum citrinū, propriè uitriolum est rubeum, rot vitriel, & non sory: licet Arabes solum uitriolum rubeum sory uocant: uerùm facilis est lapsus. nam chalcitis uitriolū rubrum fit sory. Verùm chalcitin hanc in argentarijs fodinis ego (ut prius etiam dictum) nunquam

inueni:

inueni: in ærarijs tamen reperitur, & Goselariæ. Hanc natiuam chalcitin & Plinius describit libro 34. cap. 12. quòd scilicet contineat in se tria genera: scilicet æris, misyos & soryos, & habere æris uenas oblõgas: & quòd optima sit, quæ coloris mellei, gracili uenarum discursu friabilis, nec lapidosa, recens, quoniam inueterata fit sory. Quomodo uerò idem Plinius chalcitin discernat à cadmia, ipse uidere poteris: deinde quam cadmiam, quam chalcitin intelligat, unde æs coquatur, nempe marchasitam, id est pyriten, & cadmiam natiuam, id est, cobaltum nostrũ. Vtraq; uerò chalcitis iam ignota est uulgo, imò ipsis pharmacopolijs. Dioscorides & idem Plinius natiuæ uim esse testantur, abstergere, excalfacere, et crustas ulceribus obducere. Præterea docet quomodo cum melle & ipsum calchantum debet aduri, & in quem usum. Postremò & quomodo inde fiat medicamentum psoricon, quod lepræ succurrit, quod hodie non conficitur: cui eadem uis cum chalcitide, quam Paul. cal. & sicc. dicit 3. grad. Babylonica, de qua Serapio agit, uide caput Zeg: quæ dura et fracta interius albas habet maculas.

Factitia, quæ fit ex calchanto ueteri, quod in filamẽta trãsit. Huius Dios. nõ meminit, sed ipse Galen.

DE MISY, Caput III.

Misy secundũ quosdã genus est myrrhæ, aliàs etiam quiddã est ex tuberibus, ut uult Plin.

lib. 19. cap. 3. Sed hoc loco ut nos uolumus, est res metallica, ex speciеb. chalcanti, ex humore coagulato, ut chalcitis. Nam misy, & sory, chalcitidi generi cognata sunt, ex una radice quasi producta. tenuius est misy, crassius est sory. Hodie misy omnino non cognoscitur, & multis seculis in usu non fuit.

Est aũt misy ut chalcitis duplex: scilicet,

1. Natiuum, quod sponte gignitur in fodinis, cum aqua coagulatur. reperitur hoc in fodinis ærarijs Goselariæ, auri similitudine (ut describit illud Diosc. li. 5. cap. 66.) durũ, quod friando auri colorẽ imitatur, et stellæ modo splẽdet. Quidam credunt misy esse infectũ, ab aqua transeunte ab ochra, ut fiat huiusmodi coloris. Plin. tamẽ li. 34. cap. 12. fieri è lapide concretũ natura: discretũq; dicit, & optimũ in officinis Cypriorũ. Et hoc à nonnullis uitriolũ rubeũ, uel zegi rubeũ uocatur. Germanicũ aũt nomẽ etiã ipsi metallici ignorant, quib. cũ aliquãdo misy demonstrarẽ, hi qui uidebãur prudentissimi, uocabãt illud, berckvitril. quod tamen nomen uitriolo natiuo propriè cõuenit kupfferrauch: et uitriolũ, id est calchantum, profectò facilè transit in misy. Vritur uerò misy, docente Dioscor. loco citato, ut ipsa chalcitis: uerùm ex illo sporicon non fit.

2. Factitium, quod fit cum chalcantum est mutatum in chalcitin: sicuti mentionem huius facit Galenus.

DE

DE MELANTERIA, Capvt IIII.

ET melanteria metallicum chalcanti, id est atramenti sutorij, id est uitrioli est species, fusci in cœruleo coloris, in blawen graw. Tingitur autem illa secundum diuersas terras, in quibus gignitur. Dioscorides lib.5.cap.67. duplicis esse originis melanteriam docet: scilicet quædam in faucibus cuniculorum, quibus æs eruitur, salis modo concrescit. aliquando super ipsum æs reperitur eadem species: & ni fallor, à Serapione dicitur maltira, & ab alijs etiam melatria. Secundò quædam melanteria in summa facie cuniculorū coit, sicuti sal, estq; terrena. Arabes dicunt bitriam. Est & quędā fossilis in Cilicia, & alijs regionibus. Præstare autem illā fossilem dicit Dioscorides: scilicet eam quæ sulphuris colorem trahat: & quæ leuis, pura, æquabilis, quæ contactu aquæ (seu digiti tantum, ut uolunt Arabes) confestim nigrescat: habēs uim causticam quam misy. talis in nostris fodinis haud reperitur: licet priorum duarum species habemus, quas Arabes disputant esse species zeg colcotar, id est chalcitidis, quia & eiusdem sint cum chalcitide uirtutis. Aliàs melanterion est clauorum ueterum ferreorum rasura, aut atramentum sutorium, quale fermè hoc est, quod iam fit à nostris sutoribus.

DE SORY, Cap. V.

Sory ex eodem genere est quo melanteria, eiusdem ferè coloris. Hinc idem esse ueteres sory & melanteriam credidere. & profectò utrunque transit in calchantum leucon, quo pingunt fullones, ut suprà dictum est. Sed sory uirus inest graue, ita ut nauseam moueat: quod melanteria non facit. Inueniri sory Dioscorides libro 5. capite 68. docet in Aegypto, Libya, Hispania, & Cypro. Optimum autem esse Aegyptiacum, quod frianti nigrius apparet, in multa dehiscens foramina, subpingue, adstringens, olfactu, deuorationeq;, magnum uirus olens. Quòd uerò friatum scintillas misyos modo nō emittit, alterius esse generis, & inualidum, censendum est. Hæc Diosc. habet, qui & uim, & adustionē eius addit. de quo uide & Plin. lib. tricesimo quarto, capite duodecimo. De sory combusto uide & Paulum capite de Pterygijs ungularum, pedum & manuum. Et hæc ferè omnia metalla nascuntur ubi sit pyrites. & cruda perustis sunt ualidiora. licet sal, fex uiui, nitrum, calx, & consimilia cruda sunt remißiora combustis. In patria mea dulcißima in fodinis ærarijs dilapsis, quasi uersus uillam Obernitz, ubi sedem habent antiquißimæ familiæ nobiles de Thun, reperitur quiddam nauseabundum metallicū odore, schier graw in schwartz: quod profectò mihi uidetur esse species sory. Cum aliquando mihi

licuerit

licuerit uitam agere in patria, omnia talia metalla diligentißimè inquiram in fodinis illis antiquis æraríjs. Hactenus mihi, ô patria, non licuit tecum, nescio quo fato, uiuere: & forsitan oblita es Encelij, qui nunc Vlysses quasi alter (aliquando rediens) cupit, priusquam moriatur, tuum uidere fumum.

DE DIPHRYGE, Caput VI.

Diphryges tria sunt genera, seu species, secundum Dioscoridem libro quinto, capite sexagesimonono. Primum est genus scilicet natiuum metallicum, quod in Cypro gignitur, & extrahitur solum lutosum: ex luto cuiusdam specus, & extractum sole siccatur, & mox circumpositis sarmentis uritur. & ideo diphryges uocatum est, quòd à sole, & à sarmentis uratur, torreatur, & arescat. Natiuum genus hoc diphrygis ex materia simili calchanti constat. humor enim est instar limi per uenas delabens. Creditum est quòd in sola Cypro nascatur. Sed Goselariæ talis res gignitur in speluncis, flauum est, colore ad misy accedit: sed non est ita aridum & splendens. eructat ex ipsa terra. illud colligitur, & sarmentis, & sole aduritur, inde biscoctũ dicitur. Hoc natiuum aliquo modo est in usu apud nonnullos chirurgos. Islebiæ si pyrites esset, & non lapis ille fißilis, der schifer, illud quod dicitur die

ſaw, fermè hæc eſſet prima ſpecies diphryges. Reperitur & in iiſdem fodinis Islebiæ, altera quaſi ſpecies diphrygis natiua, quæ dicitur gerſterſteyn. & ſic, ſi bene conſideras, duas nos ſpecies habemus natiuas diphrygis. Secundum genus diphrygis eſt factitium, quod iterum duplex. Primum eſt nihil aliud quàm fex ſubſidens perfecti æris: quemadmodũ molybdena factitia fex eſt argenti, ex qua fit ὑδράργυρον, ut ſuprà docuimus. In ſumma diphrygis prima ſpecies factitia eſt fex æris perfecti ſubſidens: & fit ſimul cum flore æris, wann man das ertz oder kupffer abkůlet, obfuſione frigidæ aquæ, ſublato ære, fornacum in ima parte cohærens inuenitur, habens adſtrictionem & guſtum æris. Cæterùm an iam etiam noſtro tempore fex æris ſic fiat unà cum flore æris, ut uult Dioſcorides, inquire à coctoribus æris, von den ſchmeltzern. Alterum genus factitium diphrygis eſt ſimpliciter, quando pyrites ut calx concrematur in camino, donec rubeſcat ut rubrica. Hanc ſpeciem tradit Dioſcorides etiam fieri, ſecundum nonnullos, ex ſola materia quæ lapidem æris gignit, quando aſſatur. & hæc ſpecies adulteratur ochra exuſta. Verùm ſapore poſſunt diſcerni, nempe ſic: Diphrygis ſpecies uſta ex pyrite ipſo, aut eius materia, ſaporem habet æris, æruginiſq;, aſtringentem & exiccantem linguam: ochra autem aduſta, necquicquam talem habet ſaporem, nec uim.

De

De his speciebus diphrygis, consule & Plinium libro tricesimoquarto, capite decimotertio: Serapionem libro Aggregationum, capite Diphrygis. Estq; diphryges aptissimum medicamentis, astringit, perpurgat, extergit, siccat, excrescentia consumit, ad cicatricem ulcera perducit. Sed proh dolor, nulla iam diphrygis est nota chirurgis, imò neque habetur in pharmacopolijs, adeò res bonæ contemptemptæ iacent socordia. Vtinam talia reuocarēt ad usum medicum nostri physici.

sed surdis narro fabulam.

SCHEMA.

Atramentum ʒeg

- 1. nigrum, & hoc est marchasita, id est pyrites, de quo suprà.
- 2. Citrinum, uel coloris æris, colcotar. Estq; propriè chalcitis, et uitriolū rubeū species, calchāti, cuius iterū duo genera, seu duæ species sunt, scilicet,
  - Natiua:
    - Babylonica dura apud Serapionem. } Roth vitril.
    - Cypria, apud Dioscoridem friabilis, quæ æris ruborem habet.
  - Factitia, ex calchanto ueteri, quòd transit in filamenta.
- 3. Viride, seu atramentū uiride. Estq; chalcantū atramentū sutoriū, uel uitriolū, quod iterum est duplex, scilicet
  - Natiuū fossile, kupfer rauch: quod iterū è duplex
    - 1. Pinarion, stillatitium, stalacticon, lonchoton, gockel gůt.
    - 2. Pecton, congelatū, cōcretum.
    - Et secundum colores est triplex: scilicet
      - 1. Candidū, uiola, leucoion.
      - 2. Viride.
      - 3. Cœruleum.
  - Coctile factitiū, kupfferwasser.

Chalcantorũ species sunt:

- 1. Chalcitis ipsa, id est colcotar, & zegi, & zeg citrinum.
- 2. Misy
  - Natiuum, similitudine auri.
  - Factitium cum calchantum est, mutatum in chalcitida.
- 3. Melanteria
  - 1. Fossilis.
  - 2. In faucibus cuniculorũ, maltria uel melatria dicitur.
  - 3. In summa facie cuniculorũ bitria dicitur.
  - Arabes has uolũt esse species colcotar, id est chalcitidis.
- 4. Sory
  - 1. Aegyptiacum
  - 2. Libyacum
  - 3. Hispanicum
  - 4. Cypriacum.
- 5. Diphrygis, cuius iterum duo sunt genera:
  - Natiuũ, cuius nos duas habemus species:
    - 1. Die saw Islebiæ.
    - 2. Gernster steyn.
  - Factitium
    - Fex æris.
    - Pyrites concrematus.

METAMORPHOSIS TRANSMVTAtio, seu transfiguratio, talium metallorum, artifice natura ipsa.

Magna est cognatio floris æris, id est æruginis æris, secundum recentiores, & chrysocollæ, & uitriolorum, & reliquarum eius specierum:

1. Zeg uiride, id est atramentũ sutoriũ, uel uitriolum, uel chalcantum natiuum: mutatur uel trãsit in

- 1. Misy facillimè.
- 2. Calcitim, ꝑ parte exteriori, cũ intus adhuc sit atramentũ sutoriũ lõginquitate tẽporis.
- 3. Filamenta, cum ueterascit, & fit chalcitis factitia. & iterũ calchantũ mutatum in chalcitim, fit factitiũ misy

2. Chalcitis, zeg citrinũ, melleũ, secundũ Pliniũ: coloris æris, secundum Diosc. colcotar uel zegi, secundũ Arabes: mediũ inter marchasitã, id est zeg nigrũ, uel pyritem, uel atramentum nigrũ: & inter uitriolũ, id est, zeg uiride, uel chalcantum, inueterata scilicet: Mutatur & transit in

- sory facilè.

Sory autẽ et melanteria econtra transeunt in

- Chalcantum leucon, id ẽ, candidũ.

4. Vbi uerò marchasita, id est pyrites, zeg, uel atramentum nigrum est, ibi omnia hæc metalla fiunt: calchantũ, chalcitis, misy, sory, melanteria, diphryges, scilicet natiua. & omnia hæc denigrant etiã, & referunt ita quasi primam matrem, zeg: uel atramentum nigrum, id est pyritem, uel marchasitam. Ita uides, optime lector, naturam optimam & doctißimã esse chimistam, nec adeò stultam, ut iam nostri sunt chimistæ (de indoctis loquor, qui aureos pollicentur montes, cum uix ipsi stramineos præstant.) Nam sese imitatores naturæ appellant, cum nec minimũ imitari queant in natura, nedum ex cupro aurum, ex plumbo argentum facere, ex stercore equino scarabeum, ex papilione erucam: & econtra, ex musca uermem, transformare quod poterint. Vtinã hi suis præparationibus, mundatione, attenuatione, subtiliatione, diuersificatione, calcinatione, sublimatione, descensione, solutione, distillatione, coagulatione, fixatione, & ceratione (his enim titulis nescio quid promittunt) non tam ex tauro apes, quàm ex apibus econtra tauros facerent. Et his indoctis furibus delectantur nunc uiri principes, qui tales è medio potius tollere deberent. Cæterùm de origine horum metallorum in principio libri 1. egimus.

DE AVRIPIGMENTO, Cap. VII.

AVripigmentum, arsenicum luteum, à Germanis, gold gelb operment, hüttenrauch uocatur:

catur, pictores uti ſolent. Natiuum metallicum eſt, quod in iiſdem metallis, in quibus naſcitur ſandaraca, reperitur, ut docet Dioſcorides libro quinto, capite ſeptuageſimo. Eſtq; cruſtoſum, aureo colore micans. Eſtq; adfine quiddam ſulphuri, ex ſimili materia & odore. Eſtq; ſterquilinium terreſtre (ut ita dicam) in cauernis terræ, quod per longam decoctionem tranſit in ſubſtantiam auripigmenti. Huius altera ſpecies fiſsilis eſt in ſquamas, qualis in Myſia Helleſponti naſcitur. Altera eſt pallida, gleboſa, glandis effigie, colore imitatur ſandaracam, quæ defertur ex Ponto & Cappadocia. Arabes natiuum auripigmentum ſpeculari lapidi ſimile eſſe dicunt: ſcilicet reſpicientes ad cruſtas. Sed lapis ſpecularis ipſam pinguitudinem non habet. Miſcent autem iidem Arabes ſandaracam cum arſenico, & confundunt, atque uno nomine, hoc ſcilicet arſenico, utrunque & ſandaracam & auripigmentum cenſent, ſolo uero colore diſtinguunt: nec medici ſolum, ſed & chimiſtæ. appellāt enim arſenicū rubrum, quod nos modò ſandaracā: & arſenicū luteū, quod nos auripigmentū dicimus. Auicenna albū quoq; habet arſenicū: uerū albū cum nunquā foſsile reperitur, Auicenna uidetur ad alterū forſitan factitiū genus reſpexiſſe: quorū unū eſt luteū, alterū eſt albū, quæ chimiſtæ cōficiunt: et ſunt uenena præſentiſs. quia fiunt ex ſulphure et argēto uiuo, & hodie ſolo nomine arſenici appellātur.

Harmech

traq; squamosa potest in laminas diuidi.

duobus, scilicet de fissili & globoso, Dio
agit libro quinto, cap. septuagesimo: et
dustionē in t·st.1, et quam uim habeant,

Harnech Arabicè, arsenicū græcè, auripigmentū latinè

Lutstq; cal. & sicc. in 4. grad. siue fissile,
citrposum : citrinum tamen auripigmentū
gellna cal. 3. & sicc. 2. grad. dicit.
mei
teni

um retinent nomen arsenici,
re & argento uiuo.


Rufinij & Theophrasti, quia est puluis, et
ca argentarijs.
fel s redolet sulfuris, nondū inuēta à nobis.
opem nostrum adulterinū, quod iam fit ex
Haiuxta Vitruuiū, quod Dioscorides uo-
durepetemus infrà de cinnabari factitia.
cap. 18.

De his omnib. speci de bonitate & malitia inuenies. Nam
sublimatū, quod alina sunt, ut docet Dioscorides lib. 6.

DE SANDA-

- Harnech Arabicè, arſenicũ græcè, auripigmentũ latinè
  - Luteum ſeu citrinũ, golt gelb operment, hüttenrauch.
    - Natiuũ
      - Fiſsile, ſeu ſciſsile, idq́; iterum triplex:
        - 1. Coloris aurei, idq́; optimum.
        - 2. pallidius, ſandaracæ ſimile, deterius.
          - Hæc utraq; ſquamoſa poteſt in laminas diuidi.
        - 3. Quando aureus colori miſcetur ſandaracæ: illud fiſſile, ſiccũ, purumq́; eſt gracili uenarum diſcurſu.
      - Gleboſum effigie glãdis, pallidum ſandaracam colore imitatur.
      - De his duobus, ſcilicet de fiſsili & gleboſo, Dioſcorides agit libro quinto, cap. ſeptuageſimo: et illorũ aduſtionẽ in teſta, et quam uim habeant, docet. Eſtq́; cal. & ſicc. in 4. grad. ſiue fiſsile, ſiue gleboſum: citrinum tamen auripigmentũ Auicenna cal. 3. & ſicc. 2. grad. dicit.
    - Factitium à chimiſtis, idq́;
      - Albũ, cuius Auicenna meminit.
      - Flauum.
      - Et hæc duo factitia ſolum retinent nomen arſenici, & fiunt arte ex ſulphure & argento uiuo.
  - Rubrum, id eſt, ſandaraca Græcis, roter ſchwefel, feüerſchwefel, rot opermenth Germanis. Hæc ſandaraca iterum duplex:
    - Natiua, berckrôte, reiſchgelb, roßgelb.
      - Noſtra quæ eſt illa Plinij & Theophraſti, quia eſt puluis, et reperitur in fodinis argentarijs.
      - Dioſcoridis, quæ uirus redolet ſulfuris, nondũ inuẽta à nobis.
    - Factitia apud chimiſtas, cuius ſpecies eſt minium noſtrum adulterinũ, quod iam fit ex plumbo, vnſer mennige: & quæ ex ceruſſa fit, iuxta Vitruuiũ, quod Dioſcorides uocat ſandicem, ut de ceruſſa ſupra locuimus: et repetemus infrà de cinnabari factitia. & quomodo fiat ſandaraca, ut Plin. lib. 34. cap. 18.

De his omnib. ſpeciebus uide Serap. lib. Aggreg. cap. Harnech: Auic. cap. Arſenico, ubi de bonitate & malitia inuenies. Nam ſublimatũ, quod aliàs uocant ſal Arſenicũ, interficit, & albũ ex illis per ſe perficit. Venena ſunt, ut docet Dioſcorides lib. 6.



DE SANDARACA, Caput VIII.

SAndaraca aliàs illa erythace, quid ſit, uide Pli. libro undecimo, capite ſeptimo. Hoc autem loco ſandaraca natiua metallicum eſt, de quo Dioſcorides agit libro quinto, capite ſeptuageſimoprimo, à Germanis dicitur berckrôte, reißgelb, roßgelb. eſtq; arſenicum & auripigmentum rubrum, natura magis excoctũ: roterſchwefel, feüerſchwefel, rot operment, cal. & ſicc. 2. grad. Sed non eſt argentũ rude rubrum, ut quidam ſomniauere, ut ſuprà docuimus. Sandaraca metallicũ eſt, & terra purpurea, ut paulo pòſt dicemus: & reperitur in iiſdem metallis, in quibus auripigmentum natiuum. Eſtq; ſpecies auri pigmenti, illi per omnia ſimilis, odore, & ſubſtãtia, & uiribus: præter colore, quia ruffum eſt, & conſentit colore cinnabari. Hinc Plinius dicit arſenicũ ex eadem eſſe materia, qua ſandaraca: per arſenicũ intelligens auripigmentum. Alchimiſtæ diſcernere ſtudent arſenicum hoc auripigmentum, & ſandaracam. uerùm errant. Vnum enim & idem ſunt, & fiunt ex ſulphure & argento uiuo debili à natura. In ſumma ſandaraca metallica eſt terra rubea, ſeu purpurea, ſeu ignea, redolens ſulphuris uirus. Inter auripigmentum interdum rubræ, ſiue flammeæ glebæ reperiuntur: & ſi quis acutè conſideraret, inueniret forſitan ueram in auripigmento illo ſandaracam.

cam. Plinius sandaracam in aurarijs & argentarijs metallis scribit inueniri, li. 34. cap. 18. quæ ruffa sit, quæ redoleat uirus, quæ pura & friabilis: iam tale quippiam & in nostris fodinis reperitur non rarò: sed sulphuris uirus non redolet, ut uult Dioscorides. estq; quasi harenula. Et Theophrastus, ni fallor, scribit auripigmentum & sandaracam harenā esse, seu puluerem. Et poßit hæc nostra dici sandaraca, propter similitudinem coloris, more Vitruuij, qui sandaracam etiā id dicit, quod fit ex cerussa, id quod Dioscorides uocat sandicem. Sandix aūt, secundū Plin. aliter fit: ut & minium nostrum adulterinum factitium ex plumbo species est factitiæ sandaracæ. Deinde hæc nostra sandaraca dici poßit sandaraca Plinij, quia reperitur in fodinis aurarijs & argentarijs. Tertiò nostra sandaraca, poßit dici sandaraca Theophrasti, quia harenula est. An uerò habeat uirtutes quas tribuit Dioscorides sandaracæ suæ, nempe coiens cum auripigmento, nescio. Color forsitan bonus ex illa fieret, si quis periculum faceret. Illam Dioscoridis, quæ sulphuris uirus redolet, haud credo reperiri in nostris fodinis. & distant nostra & illa Dioscoridis sandaraca longè. Modò etiā uulgus medicorum sandaracam gummi esse credit, maximo errato. Et omnes officinæ errātes plerunq; iam pro sandaraca, uera metallica, gummi seu resinam iuniperi habent. Est & illa cal. & sic. 2. gradu. credo

autem


autem erorem hinc ortum, quòd Arabes ſandarax, ſeu uernix, reſinam ſeu gummi iuniperi ſimpliciter dicunt: & ſandaracam illud metallicum, rubrum auripigmentum, auripigmenti ſpeciem illam dixere. Econtrà, Græci hoc metallicum ignei coloris uocauere ſandaracam. Hinc cum audiuere indocti, & legerunt apud Græcos ſandaracam, intellexere mox ſecundum Arabes reſinam iuniperi: cum metallicũ hoc, de quo hic agimus, intelligere deberent. Porrò quia reſina illa iuniperi ſandarax, & uernix dicitur apud Arabes, unus error alterum traxit: quidã indoctiſsimi aſini mox factitiũ hoc, quod uocamus fernitz oder verniſch, quo utuntur pictores, & alij artifices, quod fit ex oleo et gummi, habuere pro uera ſandaraca metallica. ut ſi ſcriberes ℞. ſandaracæ, iſti intellexerunt ſecundum Arabes ℞. gummi, uel reſinam iuniperi, aut fernicen illud factitium, artificum, cum metallũ hoc ſignificatur. ô officinæ reſipiſcite. Es gehet warlich zů, wie der gůt Vlenſpiegel kochte das waſſer mit dem hundt, Hopffen genant, für rechten hopffen, bier zůbrawen. In noſtris officinis non habetur iam ſandaraca metallica. Die bůchbinder brauchens nun zum grunde. In ſumma ſandaraca hæc metallica Græcis, Arabibus eſt auripigmentũ rubeum. & ſandaraca Arabibus eſt gummi iuniperi: alia eſt Græcis, alia eſt Arabibus ſandaraca. Cæterùm de ſandaraca hac metallica, id eſt, de

auripi-

auripigmento rubeo uide Serap. cap. Harnech, Auicennam libro secundo de Arsenico, Plin. lib. 35. capite sexto: Sandaracam natiuam & insula rubri maris Topazo nasci dicit, sed non adferri. De factitia eundem uide Plin. lib. 34. cap. 18. item Vitruuium, & chimistas ipsos.

DE ALVMINE,
Caput IX.


Aseb, alumen, à Germanis alaun: res est metallica, seu uena terræ, quæ habet mediã substantiam inter calchantũ & sal, & reperitur in fodinis. Estq; salsugo quasi terræ, ut Plin. inquit libro 35. cap. 15. fitq; ex aqua, limoq;, hoc est terræ exundantis natura: corriuatum hyeme, æstiuis solibus maturatur. Estq; uena quasi terræ, quæ per nimium calorem in album colorem transducitur. Et omne calchantum alumẽ continet. nobis iam alumen factitiũ quiddam est: licet & species aluminis nonnullas natiuas cognitas à doctis tenemus, licet & potißimum alumen fiat in calidis regionibus: & præcipuè in locis sulphureis, & ignitis. Quia uerò alumen multas habet species, proponemus more solito schema propter pueros, & studiosos harum rerum.



Aſeb, ſebel, alpar, alumaic arabicè, ſcipterea græcè, alumẽ alaun, cal. & ſicc. 4. grad. Auicenn. cal. & ſicc. 3. grad. Natiuũ in fodinis ex aqua limoq́; ſalſugo terræ, eſt aut

- Candidum
  - Spißum ſeu concretum
    - 1. glebo-ſum
      - foßile.
      - factitium, cuius una atq; altera ſpecies: coquuntur (plurimum ex foßili natiuo) & coaguleſcunt. & nos ex his omnibus ſpeciebus tantum factitium hoc glebosum habemus.
    - 2. Rotundum zuccarinum, ob ſimilitudinem zuccari:
      - Foßile, quod ſtrongilen ſeu ſtriglin (ni fallor) uocãt. cuius iterum ſunt duæ ſpecies:
        - Fungoſum, quod omniũ ore facilè diluitur, & damnatur in totum.
        - Pumicoſum, idq́; melius, et foraminum fiſtulis ſpongiæ ſimile, rotundumq́;. Nam candido propius, cum quadam pinguedine ſine harenis friabile: nec inficiens nigritia natione Aegyptium aut Melınum.
      - Factitium, quod manu fingitur, damnaturq́;.
    - 3. Scißile, quaſi flos glebosi, quod ſchiſton à Plinio libro 35. cap. 15. & fißile dehiſcẽs in capillamenta caneſcẽtia: unde trichitin, id eſt capillare. Hoc quoq; fit & adulteratur ex lapide ſcißili, & tunc plumoſum dicitur, ſiue alumen de pluma, uel ſcaiola uulgo, & procul dubio amiantus, de quo infrà in tertio lib. agemus. eſt alumen plumoſum noſtrum. uocant etiã chalcitin, trichitin, ut ſit alumen, uel ſudor quidam eius lapidis, in ſpumam coagulati. Quidam & alumen ærarium dicunt, quia in pyrite concreſcat. hinc chalcitis aliquoties, alumen dicitur concretum. Sed hoc alumen aſtringendi uim non habet, tantũ ſiccat. Dicitur & ſcipterеon. inde ſcipteria ciſtis, & alumẽ Iamenum, & ſciſſum. & quando alumen ponitur, hoc intelligitur ſciſſum. & defertur Iamenũ ex Babylonia. & quia dico non aſtringit, & tamũ ſiccat, ergo nõ eſt alumen, nedũ ſcißile, & tamũ formã aluminis habet. Hoc loco ipſe uide erratũ Muſæ.
  - Liquidũ, quod uocant alumẽ de rocha uel rocca, uel liparinũ.
    - 1. Molle, pingue, limpidũ, lacteũ, quod uocant phormion. cuius adulterationẽ Pli. docet deprehẽdere ſucco mali punici.
    - 2. Pallidũ ſcabrũ quod galla inficitur, & uocatur paraphoron.
    - Horum uires ſunt aſtringere, indurare, rodere.
- Nigrum in Cypro, quo purgatur aurum.

Gignuntur



Gignuntur in Hispania, Aegypto, Armenia, Macedonia, Ponto, Aphrica, insulis, Sardinia, Melo, Lipara, Strongile. Vis illis calefaciendi, stringendi, expurgandi, extenuandi. uruntur modo chalcitidis. Reliquæ quæ illorum sint uirtutes medicæ, quæ patria, quæ signa, consule Dioscoridem libro quinto, capite septuagesimosecundo, Plinium libro tricesimoquinto, capite decimoquinto. Serapionem libro Aggregat. capite Seben, Auicennam libro secundo alumen. Conueniunt medicinæ rotundum, scißile, liquidū. Est & alia species aluminis, quam uocant alumen affar, seu usnen Arabicè, latinè stercus passerinum, uel haron: cuius plures iterum species inuenies apud Auicennam & Serapionem. Quidam sal Alkali uocant: quidam non aluminis, sed salis speciem faciunt. Verùm quale sit alumen, siue sal, nescio. Speciem eius noui syluestrem, ad siluam Hercyniam mihi aliquādo à Cordo demonstratam. Erat quiddam stercori passeris simile, ac salsi saporis. Si mihi Deus & fata concedent uitam, cum aliquādo de herbis edam meum Dioscoridem, in capite de Anthyllide libro tertio plura de his agemus.

DE PVMICE,

Caput X.

FAmechi, uel fenec Arabicè, pumex, uel lapis Vulcani, à Germanis, eyn pyhms, oder byhmes steyn, buems. suntq; eius duæ species, scilicet niger

 & albus.

& albus. Niger dicitur & tophus, schwartzer bad steyn. & hic præstãtißimus in Melo, Scyro, & insulis Aeolijs. aptißimi ad corpora leuiganda, ut & Catullus dicit. Ecõtra albus, weiß badsteyn, quem Dioscorides describit libro 5. capite 74. in principio quòd sit leuis, spongiosus, scißilis: non harenosus, facilis teri, & candidus. Deinde addit idem modum cremandi, & eius uires medicas. de quibus etiam uide Plinium libro tricesimosexto, capite uicesimoprimo. In fine citatur Theophrastus, ni fallor de Plantis lib. 9. capite 18. &c. Dicitur uerò pumex lapis, propter duritiam, lapis, non propter raritatem. nam raritate nõ est lapis, & degenerat planè à lapide, quia innatat aquis: reperitur autem pumex, ubi alumẽ & sulphur nascitur. Credo esse terram omnino exustam in insulis, quæ deinde aquis adfertur usq; ad Barchẽ, ciuitatẽ Libyæ. propterea et lapis de barche uel barchin uocatur. & reperitur in littore maris. Hinc crediderunt quidã, sed falso, esse spumã concretam maris. uerùm hi lõgè à scopo aberrarũt. Ad nostra Germaniæ flumina, præcipuè ad Albim, ad promontoria illa ueteris Marchiæ, inueni lapides aliquoties pallidos, raros, spongiosos, pumici similes, uerùm adhuc graues: quos profectò credo prima rudimenta esse pumicis, & pumicem nondum calore excoctum. Nam periculũ feci, igni an eius põdus diminueretur: & inueni aliquid diminutum

diminutum de eius pondere. Plinius libro decimotertio, capite uicesimoquinto, algas & fungos mutari sole in pumices dicit. Vide Serapionem lib. Aggregat. capite Famechi. Ouidius libro tertio Metamorphoseon pulcherrimè describens antrum lauacri Dianæ, fingit hoc ex pumice & tophis factum ab ipsa natura, cum inquit:

Cuius in extremo est antrum nemorale recessu,
Arte laboratum nulla, simuauerat arcum
Ingenio natura suo. nam pumice uiuo,
Et leuibus tophis natiuum duxerat arcum.

DE SALE NATIVO, Caput XI.

MAlck Arabicè, Latinis sal, à Germanis saltz, optimum condimentum, duplex est: natiuum scilicet, & factitium arte. De natiuo agemus in hoc capite, de factitio uerò in sequenti.


DE SALE FACTITIO, Caput XII.


SAl factitium est id quod fit seu coquitur arte: idq; est duplex iterum, scilicet:

I. Marinum, cuius L. C. Dioscorides secundo loco facit mentionem, & prædicat id quod sit candidum, æquale, densum, & à patria Cypriacum, &c. Fit autem hoc sal marinum stagnis completis marinis aquis, & exiccatis sole ardentißimo, quasi coctione quadam, & imbre seu aquis dulcibus admißis. nullum enim sal fit sine aqua dulci, ut uult Plinius libro secundo, capite centesimosexto. Admiscent autem salsis aquis dulces aquas, parantes sal, ut abluant uehementiam acrimoniæ. ut adhuc fieri nonnullis locis Hispaniæ & Galliæ fertur. & sic fieri & siccari in lacu Tarentino, & in Sicilia in lacu Cocanico, refert Plinius lib. 31. cap. tertio.

II. Quod coquitur arte ex muria natiua fontiũ: sicuti nostrum iam coquitur sal Hallis in Saxonia, & in locis alijs tum Thuringiæ, tum Saxoniæ: uerùm unum alterum superat bonitate, ratione muriæ. darnach das saltzwasser gût ist, od viel wildes wassers hat. ut uidemus fieri in Marchia in loco quodam.

In regionibus prope Lysbonam, ut iam uocant, ad mare magnæ sunt paludes, multis in locis stagnãtes aqua marina, ueluti sunt quas aliàs uocãt nautæ cyn hafen,






Natiuū uel ſoßile, uel minerale ſal, ut uocant, aut

- 1. ex fodinis effoditur. eſtq́; Græcis καθάλμης γαίας βώλαξ, terra ſalſa, ſalſugo ſterilis. huius iterū ſpecies mihi notæ ſunt quatuor, nempe ſal
    - 1. Scißile eſt, & ſal Ammoniacum dicitur, ſeu ſal ſaparacium cuius Dioſcorides libro quinto, capite ſeptuageſimoquinto primo loco meminit, quòd ſit candidum, uacans calculis, perſpicuum, æquali compage denſum, ſimile colore alumini, quod ſchiſton uocant, longis glebis. Huius ſalis & Ouidius meminit in Medicamine faciei, cum inquit: Cumq́; Ammoniaco maſcula thura ſale. Quidam tamen non Ammoniacum, ſed Armoniacum dicunt ſal, quia reperitur in Armenia. Quidā dicunt & hoc fieri ex herba ſalmoniaca, creſcente in montibus Hiſpaniæ, ſimili anetho: cuius Auicenna meminit. Serapio ſpecies eius dicit eſſe unam rubram, albam, nigram, puluerulentam, aut claram, cal. & ſic. 4. gradu.
    - 2. Foßile ſaxeum, in Aphrica & India renaſcens, in Cappadocia modo ſpecularium lapidum, quod dicunt & ſal gemmæ.
    - 3. Foßile in Polonia nigrum, interdum candidum, cœruleū. effodiuntur fruſta ueluti molares ſunt lapides. aliàs ſal nigrum, Naphricū dicitur: et reperitur cum naphta. Aliàs etiam ſal nigrum uocant ſal Indum. Sal autem Indum non eſt per ſe ſal, ſed propter colorem ſal dicitur. Eſtq́; zuccarum, quod reperitur coagulatum ſuper cannam mellis in India, ſicuti ſal. & eſt mel cannæ, uel zuccarum cannæ: pro quo nunc dicimus zuccarum Candi, uel Candiæ, quod eſt factitium quiddam ad ſimilitudinem iſtius, quod fit cannis Indiæ, ſicuti ſal.
    - 4. In Tranſyluania effoditur ſal uiride, cryſtallinum, quadratum habēs corpus, quod ſal gemmæ eſt. aliàs ſal gemmæ, ſal Cappadocium uocatur, & ſal Coſtum, ſal Metallinum, ſal Taburen. Dicitur autem ſal gemmæ, quia clarum eſt ut gemma. et eſt uena terræ cal. & ſic. uires habet ſalis Ammoniaci.
- 2. ex lacubus, aut fontibus, aut fluminibus: quorum ſummitas denſatur in ſalem. uide Plin. lib. 31. cap. 7.

Hæ ſpecies à Germanis dicerentur berckſaltz. & ſunt cognatæ ſpecies alumini. uires illorum ſunt corrodere et deſiccare.



eyn hafen, in illis etiã fit tale ſal marinũ lacuſtre, ad litora, relabentibus fluctibus, operante ſole, qui coquit aquam iſtam marinam in ſal. quod incolæ, præſertim miſeri ruſtici, mox certo artificio, factis quaſi ciſtulis, colligunt, ne iterum auferatur fluctibus redeuntibus. & in litore magnis cumulis coaceruant: ubi deinde magis magisq; ſole in ſicco excoquitur. & fiunt fruſta eius immenſæ magnitudinis, tanquam forent alumen aut glacies fluminum ipſa, niſi quòd fruſta illa ſalis non ut alumen & glacies tranſlucent, ſed coloris ſunt ſubpallidi, aut uiridis, aut nigri. Hoc idem ſal deinde aufertur nauibus ad nationes uarias marinas. & teritur certo artificio, ut fiat tanquam harena grandis. & illo piſces ſaliuntur, ut ſunt ceti, phocæ, haleces, tergora canum marinorũ, ctenes, pectines, paſſeres, et galli marini, raiæ, ſalpæ, ſiluri, pergolici, & alij piſces. Illud ſal lacuſtre iterũ coctũ fit optimũ ſal et candidiſſimũ.

Cæterùm quæ uires ſalis, longo ordine habes apud Dioſcoridem L. C. & Plinium libro triceſimo primo, capite nono. & de ſalis differentijs in eodem, capite ſeptimo & decimo. deinde Serapionem libro Aggregationum, capite Malk. Addit uerò Dioſcorides modum urendi ſalem tunc foſſilem, tunc factitium, quod ſal uſtum ſaltaculum & cotulum dicunt. Præterea facit mentionem ſpumæ ſalis, quæ illi eſt nihil aliud quàm ſpumoſi maris lanugo, ſiue

ramentum, in exilibus petris quod reperitur, locis maritimis in litore quod alluit mare, coagulatum quiddam est, saporem habens salis, & odorem marinum uirosum. (aliàs & spumã maris Alcyonium uocant, de quo suo loco infrà.) Verùm hanc spumam salis uel maris Plinius refert inter genera salis natiui, cum inquit L. C. Aliud genus ex aquis maris sponte gignitur, spuma in extremis litoribus ac scopulis relecta. hæc enim omnis rore densatur, & est acrior qui in scopulis reperitur. Nicandri interpres spumam salis in Alexipharmaca ἁλὸς ἄχνην, id est spumam salis esse definit hoc, quòd cum homines sal conficientes, salsis aquis dulces admisceant, quibus uehementiam acrimoniæ abluant: dumq; utrumq; miscent, ut etiã Plinius indicat, spuma quædã fiat ex tẽperatura illa quæ appelletur ἁλὸς ἄχνη, id est salis marisq; spuma. Si hoc uerum est, habemus duplicem spumam salis: unam à mari factam, illam Dioscoridis, quam Plinius dicit speciem salis natiui: alteram factitiam illam inerpretis Nicandri. Sicuti autem sal & spuma salis se adinuicem habent: ita nitrum, spuma eius, de quibus infrà agemus. Postremò notandum & hoc, quòd salis sint quasi infinitæ species, si loca, patriam, colorem, mineram, qualitatem, & alia considerare uelis: quas species si omnes perstringere uellem, cresceret mihi opus longius Iliade. Quasdam species breuiter percurremus.

currermus. sal Cappadocium, sal panis, sal massæ, sal usuale, sal commune, unum & idem sunt. Secundò sal Sodomæ est, sal quod generatur in mari mortuo, ubi aqua est amara. Dicitur aūt Sodomæ, à montib. mari adiacētibus. Videtur mihi hoc sal species spumæ esse maris, uel salis concretæ. Tertiò, alia est species salis, quæ dicitur sal alkali, uel alkal, quod factitium est, & fit de herba kali, uel usuen, cuius suprà mentionem fecimus. quod uolunt fieri combustione herbæ anthyllidis in fouea. Est & sal lucidum, nomine nitrum: & sal Alexandrinum, & sal Anderenæ, baurach, aphronitrum. nam nitrum species est salis. Est & sal sacerdotale, quod ponitur in Antidotario uirili. est & sal Tragesicum, quo caremus. Est & sal arsenicum, id est arsenicum sublimatum. Est & sal Alebrach, uel Alebroth, id est sal chimistarum. de quo chimistas uide.

DE MVRIA, Cap. XIII.

Commodè post sal, ipsam muriam & florem salis tractabimus. idem fecit Dioscorides. Muria habet effectū salis, & aquæ marinæ: à Germanis dicitur saltzwasser, oder salle. Estq; duplex, scilicet: Quædam est natiua, unde fit seu coquitur sal nostrum commune, ut fit Hallis in Saxonia, & alijs locis. Quædam est factitia, cum miscemus cœlesti aquæ sal parum. Hinc sal leue dici-

mus, cum liquefit sal iniectum: & econtra, sal durũ cũ nõ liquefit, sal iniectũ. et ita probatur etiã obiter sal an sit bonũ. Huius species sunt garũ, liquamẽ illud ex piscib. carnibusq; sale maceratis, fischlackẽ, beringslacken, fleyschlacken, oder peckel, ut uocãt Saxones. Præterea huius altera est species oxalme, id est acida muria, quæ fit ex aceto, & aqua marina. uide Serap. libro Aggregat. cap. Muri. Plinium, libro tricesimoprimo, capite septimo & octauo. item libro tricesimosecundo, capite sexto. Plinius uidetur muriam miscere cum garo. Sed de garo Dioscorides docet lib. 2.

DE FLORE SALIS, Caput XIIII.

Alosanthus flos salis, à mari mihi nomen habere uidetur. Estq; quædam efflorescentia maris. & emittit hoc mare medicamentum, alio sub nomine. habetur in officinis, nẽpe dicitur sperma, uel semen ceti uel balenæ, seu ambar subalbidum. Saxones uocant Walrath, oder baldrath: forsitã ab effectu in nonnullis morbis. Veteres nõ mentionem fecerunt spermatis ceti, sed floris salis, estq; idem. Reperitur autẽ ipso in mari, ut mihi nautæ aliquoties, & mercatores retulerũt (licet & supra petras in Nilo reperiri uolunt) aut in paludibus ad mare, & in stagnantibus maris partibus. Dioscorides lib.

5. cap.

5. cap. 77. in Nilo et lacubus natare dicit. color illi croceus aut lateritius: ſed ut deponat ruborem, & fiat candidum, purgatur. hinc ruffi, quaſi grumi, ad huc inueniũtur, in ipſa eius maſſa, ut ita dicam. Eſt autem res, pinguedine uirus olens, & ingrati odoris, quæ aqua non reſoluitur, ſed tantum oleo. Dioſcorides loco citato eius patriam, bonitatẽ, & adulterationẽ, malitiamq́; docet. Deinde eius uires medicas. Cæterùm uide Caßium Felicem de Aloſachne, Plinium libro triceſimoprimo, capite ſeptimo, qui primum florem ſalis definit eſſe leuißimam ex ipſo ſale fauillam & candidißimam. Deinde & florem ſalis dici ait rem diuerſæ naturæ, utpote humidioris & coloris crucei, aut ruffi: ueluti rubigo ſalis, odore quoq; ceu gari diſſentientem, à ſale, non modò à ſpuma. inueniri autem in Aegypto, et deferri Nilo, & innatare quibuſdã fontibus, fieriq́; flantibus Aquilonibus. In Saxonia eius uſus adeò uulgaris, ut neſcio ad quem non morbum illo utantur. Scio ego propter nimium eius uſum periiſſe honeſtißimam matronam ad oſtium Tangræ. Quidam & ambram uocant hoc ſperma ceti: alij ambram fructum arboris uel gummi ſub mare creſcentis, alij iecur piſcis, alij ſtercus cuiuſdã piſcis, alij ſpumam quandam maris, alij naſci in ſpecie fungorum ſub mari dicunt. tu conſule Serapionem libro Aggregationum, capite Hambar, Auicennam de Ambra,

Almanſorem tractat. 3. de Ambra capitulo. Itē flos ſalis duplex eſt:


I. Tenuiſsima fauilla, & candidiſsima ſalis.

II. Sperma ceti, Waldrath, baldrath: citò auxiliū, citò auxilians.

DE NITRO, Cap. XV.

Baurach, ſal petroſum, nitrū, à Germanis ſalpeter, berckſaltz, quaſi ſal petræ, cal. & ſicc. 2. grad. Eſtq; nitrum res cognata ſali, & quaſi eſt ſpecies ſalis. Hinc ſal lucidum, ſal Alexandrinum, ſal anderenæ, ſal nitrum, unum & idem ſunt. Fit autem nitrū ex coagulato humore. Qualia uerò olim fuere nitra, neſcimus, et diuerſa ſunt illa noſtra. Nam olim etiam in cibo utebantur nitris, & condiebantur illis uina, & ſemina imbuebantur, ut teſtatur Plinius libro 14. cap. 20. & libro 18. cap. 17. Sic & Virg. lib. 1. Georg. Semina (inquit) uidi equidem multos medicare ſerentes, Et nitro prius, et nigra perfundere amurca. Erant olim autem nitra, coloris roſei, amara, leuia, in foramina dehiſcentia, ſpongioſa, comburebātur igni: noſtra uerò necquicquam his reſpondent, nedum quòd illa apud ueteres terreſtria fuere, noſtra ſunt aeria. Verùm econtra noſtra in medelis ſunt præſtantiora, quia multo magis aperiūt, & euocant humores. Eſtq; cum iudicio illis utendum. Sunt & eius ſpecies factitiæ quamplurimæ, de quibus Plin. libro triceſimoprimo,

mo, capite decimo. Fit & apud nos nitrum diuersis modis, in stabulis, in ouilibus, in antiquis cœnobijs, in areis multo antè seculis tritis, in rupibus, cellarijs, muris. & hoc spumosum dicitur nitrum, & est aphronitrum, eyn salpeter der an den mauren vnd felsen wächst. Estq; spuma nitri, & species nitri. Et cognatum est admodum cum flore Asiæ petræ. Nitri natiui etiam si acutè consideras ipsa chrysocolla, uiride, scißile æris, est species. Dioscorides lib. quinto, capite septuagesimooctauo, ipsum tum nitrum, tum spumam nitri describit à patria & bonitate. Indicat etiam quæ illis uis medica, quomodo aduri debet. utuntur iam crudo & adusto in nonnullis casibus. Serapio libro Aggregationum, capite Nitri, baurach, & nitrum, & spumam nitri, id est speciem nitri esse dicit. facit uerò nitri duas species, scilicet quòd sit



Nitrũ

- Foßile, natiuũ. Huius species si similes sunt sali foßili. sunt aut baurach,
  - 1. Armenum, ab Armenia patria: & hoc optimum.
  - 2. Ab Rabath
    - album
    - nigrum
    - Simile omnino sali foßili, saporem habens medium inter salsedinem & acetositatem.
  - 3. Aphricanum.
  - 4. Romanum.
  - 5. Aegyptiacum.
  - 6. Babylonicum.
- aliud
  - Artificiale factitium, sicuti ipse flos parietis, seu petræ, uel flos salis. Vide de illo etiam Galenum. Coquitur hoc ex sale, uel aqua salis.

Arabes

Arabes ſolum duas ſpecies, primam ſcilicet, & ſextam celebrauere. Et Babylonici iterum duas faciunt ſpecies, ſcilicet nitrum, ſal petroſum, purpureum, ſalſum, modicè amarum: & alterũ baurach, panis, quia in maſſa utuntur in pane, diſſoluunt in aqua, & liniunt ex eo panem, antequã coquant: ita ab eo recipit claritatem quandam. Verùm nos illas ueterum ſpecies ignoramus, ut dixi. Plin. libro 31. capite 10. de ipſo nitro, præcipuè factitio & ſpuma eius, ſatis eſt copioſus. Nicander & nitrum prædicat in Alexi. contra potionem ſanguinis taurini. uolunt nitrum cal. & ſicc. 2. grad. Eſt & nitrum ingrediens in puluerem iſtum tormentorum, ut ſciunt iſti apothecarij ſathanæ, qui à tormentis nomen ſuum habent.

DE APHRONITRO, Caput XVI.

SIcuti ſal & ſpuma ſalis ſe habent adinuicem, ita ſe habent nitrum & ſpuma nitri adinuicem. Eſtq; in his ſalis ad nitrum, & ecõtra nitri ad ſalem: item ſpumæ ſalis ad ſpumam nitri magna cognatio. Cæterùm ſpuma nitri, aphronitrũ, flos petræ, uel parietis (ſicuti ſpuma ſalis) res eſt leuiſſima, gleboſa, friabilis, ſpumoſa, mordẽs, coloris penè purpurei, & hæc optima. Nos ſpumã nitri dicimus & ſpumoſum aphronitrũ, quod naſcitur muris & petris, eyn ſalpeter der an maurẽ vñ felſen wächſt.

in quibuſ-

in quibusdam locis uocant Mergel. Variat uerò spūma nitri secundum petras & muros ubi nascitur, & huius uirtus est similis sali adusto. Sunt autem fermè unum, aphronitrum, id est spuma nitri, flos petræ, & flos Asiæ petræ, de quo suo loco infrà agemus. differūt tantū substantia paululū. nam si resoluitur igne, est flos petræ Asiæ: si nō resoluitur, est spuma nitri nostri. Ienæ in Thuringis, ubi generosus locus simpliciorū, pulcerrima species reperitur aphronitri, quæ respōdet plurimū flori Asiæ petræ, à Diosc. descriptæ, ut infrà suo loco indicabimus.

DE ARGILLIS IN FOdinis, Cap. XVII.

HActenus tractauimus metalla media, quæ remota dicuntur, & spiritus, quia soluuntur igne in spiritus & aerem. Deinde etiam fermè metallorum sunt spiritus, & exhalationes. addidimus etiam adiuuantia spiritus. Nunc de speciebus argillarum & terrarum ordine agemus, quæ ex ipsis fodinis partim steriles, & nullius momenti: partim prægnantes metallis, & feraces, & utiles in re medica, effodiūtur. His finitis, subijciemus & alia quæ de talibus scriptores metallicis rebus addidere: scilicet de calce, gypso, alcyonio, adarce, spōgijs, cinere sarmentitio, fece, fuligine pictoria, atramento librario, &c. In hoc uerò præsenti capite de argillis primum agemus, quæ reperiuntur in ipsis fodinis.

Argillæ

Argillæ dicuntur, quia similes sunt his argillis, quibus figuli utuntur, der dopffer erde: uel ut Saxones dicunt, der potter erd: & superiores dicunt than. Harum argillarum uaria sunt genera, quæ colorib. discernuntur, & reperiũtur in nostris fodinis, multis locis, scilicet

I. Candida: crebrò hæc in fodinis reperitur, weiß erd, oder than.

II. Nigra, schwartz erd, oder than.

III. Lutea, in qua est tenacitas magna, gelb than.

IIII. Punicea, braun than.

V. Purpurea, quæ maximè abundat in patria mea, wann die hawer außfaren, so sind sie gantz rot, so habend sie sich gesölet.

VI. Viridis, grün than.

VII. Cœrulea, graw than.

VIII. Cineracea, äschfarb than.

Ex omnib. his pigmenta fieri poßint, si non tam humidæ forent. ollæ ex his optimæ fierent, si argillæ rectè elaboratæ à figulis, in ollas more solito informarentur. Sed hæc commendo figulis.

DE TERRIS, ET PRIMVM DE terra candida, Cap. XVIII.

TErræ in fodinis reperiuntur, quæ quo ad colores argillis sunt similes, sed sola siccitate, unde fiunt, distinguũtur. Quædã est candida, quædam nigra, quæ est pnigitis: quædam lutea, quæ est

ochra;

ochra: quædam punicea, quædam purpurea, seu rubea, quæ est sandaraca, berckröte, reischgelb, roßgelb: de qua suprà egimus proprio capitulo. quædã est uiridis, quæ est chrysocolla: quædam est cineracea: quædam est cœrulea, Græcis κύανος, Latinis cœruleum. In hoc præsenti capite agemus de terra candida, de reliquis uerò ordine in sequentibus.

Terra candida diuersa habet nomina, ex rei diuersitate & regionibus unde adfertur. & hæc perrarò in metallis reperitur, sed suis proprijs locis effoditur. Notandum uerò, quòd præterea quiddam aliud reperitur in uenis metallorum, referens candore medullam: quod & nos uocamus medullam saxi, steynmarck. et est quasi medulla oßis alicuius animantis. Hinc pulchrè dictum est, quòd ossa matris lapides dicti sunt oraculo Delphico. estq; ferè illud fluidum, nec sic tenacis pinguedinis ut argilla. quanquam interdum exiccatum & durum inuenitur. Sicuti etiam Ienæ in Thuringis, & ad Hercyniam syluam, apparet illa medulla saxi tanquam uena intra saxa, candida, friabilis omnino indurata, unde pueri arenulam terunt ad lituras siccandas. & in patria mea integri tales lapides interdũ ingentis magnitudinis reperiuntur ad fodinas cis Salam. In Saxonia nonnullis locis ad flumina & reperiuntur similes ferè alabastriti & hinc optimum fit gypsum, ut suo loco dicemus.

DE

DE PNIGITE,
Caput XIX

TErra quædam est, quæ nigra est, & pnigitis dicitur, quam Dioscorides libro quinto, capite nonagesimoquarto, colore similem esse dicit Eretriæ terræ, pro qua & uẽdatur, grandiori tamen gleba existat, & glutinosa, refrigerans manus, uiribus par cimoliæ. Idem Plinius habet libro tricesimo quinto, capite decimosexto. Verùm quæ sit illa terra pnigitis propriè, quam Dioscorides & Plinius L. C. describunt, nescitur. Est terra nigricans. Nos quidem terram habemus nigram, quæ tamen nõ est pnigitis. nam est nigerrima. ipsa interdum aliquid argenti continet, & tunc argentum rude appellatur, ut suprà de argento rudi docuimus. Interdum etiam est sterilis, & tunc simpliciter est terra nigra. Illa etiam quæ à Dioscoride dicitur melãteria: de qua etiam prius actum, quæ sulphurei est coloris, & aquæ tactu nigrescit, quoad ego scio. apud nos etiam non reperitur. In patria mea dulcißima, in torrẽte Garmersdorffẽnsi, qui labitur per agros petens Salam, reperitur lapis niger, friabilis, unde pueri atramentum componunt, & ipse puer inde composui: is mihi uidetur omnino esse pnigitis indurata calore, ingentis nonnunquam magnitudinis, ac leuis proportione sui. Aut est simpliciter ochra, quæ exusta calore solis aut terræ, transijt in rubri-

cam, & consequenter nimium adusta in talem pnigitin. Aut est ampelitidis species. periculum tamen non feci an resoluatur oleo. De his iudicent sanè talium inquisitores. In tenerrimum lapis ille & bene digestum & mollißimum potest puluerem redigi, & qui minimè aliquid harenæ contineat. Est, quid quid est, pulcherrimum quiddam, licet spretum contemptumq; iacet ab illis incolis locorum. Interdum reperitur & scintillulis minimis quasi micans, ita ut minimè sterilis lapis seu materia esse uideatur. Sed de his satis. O sancta simplicitas Germanorũ. ô felix patria, tua si nosses bona. Poßit profectò uerum esse iuxta illud: Daß mancher Thuringer eyn steyn werffe nach seiner kůe, d do besser ist dañ sein bester ochse. Dulcis patria, utinam tibi aliquando contingeret talis uir, inter tot præclara ingenia quæ hactenus aluisti & habuisti, qui talia tua bona diligentißimè inquireret: qualis profectò futurus fuisset Erasmus Reinholdus, nisi potius animum generosum ad sidera, & non herbas & lapides terræ adiecisset. Idẽ et frater germanus eius Iohannes Reinholdus, qui nunc legibus forsitan, ut tibi prosit, dabit operam. taceam alios mille, quos sacrosancta theologia ad se trahit. Et equidem te credo illud omnibus uotis quoq; expetere. non enim puto te irridere talia, ut quæ metallicis rebus das operam, & præclaras habes fodinas. A' tempore Othonũ usq;, & nunc

& nunc quoq; sub ducibus Saxoniæ (quibus semper fidißima) oppidum Germaniæ celebre, & antiquũ es ô patria. Deus opt. max. tibi uaria dedit dona, quibus si diu & fœliciter uti uolueris, rogo, purum illius uerbum omnibus modis ames, ac foueas bonas artes.

DE OCHRA, Caput XX.

Ochra Græcis terra est lutea, quæ Latinis dicitur sil. estq; duplex, scilicet natiua & factitia.

Natiua ex fodinis, à Germanis ockergelb, gelb erde, berckgelb: sicuti chrysocolla est berckgrün: & cœruleum, berckblaw. Nota est autem ochra pictoribus, præcipuè Dacica illa & Hungarica. nostra quidem iacet contempta. Dioscorides lib. 5. capite quinquagesimooctauo, laudat Atticam leuißimam, omnino luteam, saturatam, non lapidosam, friabilem. Præterea docet ut & ochra poßit & aduri & lauari cadmiæ modo. Tertiò, quòd illi uis medica sit astringere, erodere, dißipare. Sunt autẽ species ochræ uariæ: quædam est metallica, & quædã apud nos dura, quædam est simpliciter terra flaua, quæ reperitur & in nostris fodinis. Theophrastus simpliciter ochram terram esse describit. Plinius libro tricesimotertio, capite duodecimo, silis etiã diuersa enumerat genera, cum inquit: In argenti &

auri metallis nascuntur etiam optima pigmenta, sil & cœruleum, quod propriè limus est, optimum ex eo quod uocatur Atticum, proximũ marmorosum. Tertium pressum Cyricum, ex insula Cyro, Achaicum, Gallicum lucidum. Porrò libro eodem, capite decimotertio, sile primum pingere instituisse dicit, Attico polygo natum, & Myconem. Reperitur uerò & ochra ad flumina, ut ad Albim: & plurimum ad flumen Ochram, quæ per Brunsuigam labitur: unde & nomen habet, & Ochra dicitur à Saxonibus. Dicunt enim, an der Ocher. propterea si acutè considerare uoluerimus, ochræ quatuor habemus species. Prima est lapidosa ex fodinis, & ad ripas, & litora fluminum. Secunda est puluis, & terra arida, hærens in lapidibus, ut cœruleum & chrysocolla. Sicuti Salueldiæ effoditur unà cum lapidibus ad ædificia, ex fodinis quæ dicũtur die steynbreche. Tertia est terra sicca, simplex ad ripas. Quarta est uel limosa & tenax, uel marmorosa ex fodinis. Transit uerò ochra (ne & hoc uidear transijsse) in fodinis, & ad flumina, adusta calore, terræ solis, in rubricam natiuam & consequenter in pnigitin: & ego aliquoties inueni ad ripas Albis, prope ostium Tangeræ. Ochra, quæ iam in rubricam cœpit mutari, pro parte adhuc ochra existente, calore terræ aut solis operante. Porrò ex ochra adusta arte fit rubrica fabrilis. Verùm hæc infrà repetemus de Rubrica fabrili.

Factitia, quæ fit ex plumbo: hac plurimum utuntur pro natiua pictores, & dicitur à Germanis bleigelb.

DE CHRYSOCOLLA, Caput XXI.

TErra uiridis, Græcis & Latinis est chrysocolla, quasi gluten auri, à Germanis dicitur steyngrün, schifergrün, berckgrün. Estq; duplex, natiua & factitia. De natiua Dioscorides agit lib. quinto, capite quinquagesimoquarto: et primas tribuit Armeniacæ, secundas Macedonicæ, tertias Cypriæ. Sunt & iam apud nos excellentes, Dacica, et nostra Germanica mille locis. Gignitur uerò in fodinis aurarijs & ærarijs, hactenus incognita nostris medicis. Effoditur iam in Hungaria, Burgundia, Goltpergæ in Silesia. & hinc aurum conflatur, ut de auro suprà significauimus. Hanc natiuam quidam boracem uocant: non autem est lapis borax de buffonibus, de quo suo loco in tertio agemus. Et possit dici chrysocolla uiride scißile, sicuti ærugo æris, uiride rasile dicitur. Estq; quasi species nitri. Plin. libro tricesimotertio, capite quinto, definit chrysocollam natiuam humorem esse in puteis, per uenam auri defluentem, crassescente limo, rigoribus hibernis, usq; in duritiem pumicis, laudatiorē in ærarijs metallis, proximam in argentarijs, tertiam aurariam, quartam plumbariam. In summa, chrysocol

lam uenam putrem dicit. Porrò & factitiæ id nomen tribuit cum Galeno, & in asperam, mediam, & herbaceam attritam, & luteam, quæ nullius sit momenti, diuidit. Sed Dioscorides factitiam enumerat inter ærugines simpliciter æris, qua utuntur aurarij: & olim utebantur medici. & fit hæc natiua ex urina infantium: & hæc etiam tincar & borax dicitur. Ita uides quàm cognata sint hæc metalla, ærugo æris natiua, quæ dicitur uiride æris rasile.
Et chrysocolla, quæ scißile æris uiride est. Item metallica illa, ut ærugines æris factitiæ, & chrysocolla factitia, quæ est aurifabrorum ærugo rasilis. Sic æruginũ æris natiuarũ, id est uiridis æris rasilis, speciebus, itẽ chrysocollæ, id est uiridis æris scißilis speciebus, cognatæ species etiã sunt uitriola ipsa. Sed pergemus. Chrysocolla natiua habet uim discutiendi & exedendi. Plinius & libro 35. capite 6. chrysocollam inter colores enumerat. Item lib. 37. capite 10. chrysocollæ alterius speciei meminit, ubi formicæ aurum eruunt, quæ tu ipse legere poteris. Sic uides & chrysocollæ natiuæ & factitiæ certas esse species. Conflatur uerò ex natiua chrysocolla & cœruleo optimum aurum. Nota & quòd in lapide illo, ubi terra uiridis, id est chrysocolla & cœruleum, id est κύανον, insint. Tertium quiddã candidum, scintillarum modo lucet, quod uocant micam, & felium argentum metallici, à Germanis

glymmer,

er katzen silber. habet quidem colorem argentum non est. felium autem argen à similitudine forsitan, quòd eorum o- cent, tali modo: siue quòd cassum & nam sit. nullum enim fructum præbet, imitur. Si uerò acutè consideras, mini- ur, sed tantum purgatur (ut obseruaui cet sit res nullius momenti, & alium co et proculdubio species est amianthi: ut infrà libro tertio plura dicemus. Na- ibus in intimis terræ se oblectare uo- n de chrysocolla uide Serapionem lib. pite Tincar, qui & natiuam chryso- s maris inueniri dicit, & esse ex spe- l. & sicc. 4. grad. Porrò quis sit eius is, & quomodo lauari debet, consule idẽ. Est & chrysocolla uenenata, plus epta.

E COERVLEO, Caput XXII.

κύανος, κύανον, Latinis cœruleũ, pro- olorẽ, lapis lasuli. Venetus color idẽ, à ur. omnia hæc quasi imitãtur Arabes, cant. eius genera duo sunt, scilicet:

ærarijs, & in nostris aurarijs et ærarijs, ut
in Silesia, species eius nascitur optima, &
ngia. Estq; ueluti harenula, seu lapis, seu ter
eophrastus etiã bene inquit: Cæruleũ est na
flatur Lauterbergæ, & Goldtbergæ in Sile
ngat. uritur ut chalcitis, lauatur ut cadmia,
nera, scilicet Aegyptium, Scythicũ, Cypriũ:
cet ex illo parare lomentum lauando & u-
oolla, quæ dicitur schifergrün, berckgrün.
gi dicit cœruleum inebriatum, durum, ferro
pyrite, pulchri coloris. reperitur enim spe-
le cœruleo uide & Serapionẽ lib. Aggreg.
ĩ cal. & sicc. 3. grad. quidã cal. 2. sic. 3. grad.
3. 1. usq; ad 3. 1. sup. Facit et mentionem Dio
ij, quòd scilicet lapis Armenus sit leuis, colo
icato colore cum cœruleo. Hic lapis adfertur
et malè, er ist nicht so hart als eyn smaragd:
or, in confectionem Diasene. Vide de illo Pli
ro secundo, Mesuam, & alios. Hæc paucis
nò de lapide cyaneo uide & Plin. libro tri-

d chimistas, & iam ex factitio cœruleo pi-
eberent: de cuius purgandi ui scripsit Aetius

DE INDICO,
Capvt XXIII.

SEquutus in plurimis methodum optimi Dioscoridis, & hoc loco commodè de Indico etiam aliquid addemus. Indicum spuma est duarum specierum: scilicet est Indicum partim natiuum, quod sua sponte nascitur in arundinibus quibusdam Indiæ. Pictoribus dicitur lapis Indicus, licet impropriè. non est enim lapis. à Germanis uocatur Indich. huic similis est fermè adarces, de qua infrà agemus, quia ita & adhæret arundinibus. sed adarces fit, indicũ nascitur sua sponte in arundine. Partim factitium in officinis tinctorum. estq; spuma purpurea, innatans cortinis. optimũ est factitium illud, quod cœrulei præbet speciem. habet enim cœruleum in nigro colorem. Germani dicunt Waidblũm, oder ferber indich. leuiter astringit, rumpit, purgat, & reprimit ulcera. Plinius libro 35. capite sexto, Indicum natiuum inexploratæ inuentionis esse sibi dicit. factitium autem fieri ex flore nigro, qui adhærescit æris cortinis. Alij succum herbæ simpliciter dicunt, qua tinguntur nunc panni, quã uocant Indicum, id est glastum, quod aliud est domesticum Waid, notum Thuringis, quo maximè utuntur tinctores. unde & hoc factitium Indicũ, Waid blũm, ferber indich propriè fit. Alterum est glastũ

glymmer, oder katzen silber. habet quidem colorem argenti, sed argentum non est. felium autem argentum dicitur, à similitudine forsitan, quòd eorum oculi noctu lucent, tali modo: siue quòd cassum & inutile quiddam sit. nullum enim fructum præbet, sed igne consumitur. Si uerò acutè consideras, minimè consumitur, sed tantum purgatur (ut obseruaui aliquoties) licet sit res nullius momenti, & alium colorẽ aßumit, et proculdubio species est amianthi: ut de amiantho infrà libro tertio plura dicemus. Natura his coloribus in intimis terræ se oblectare uoluit. Cæterùm de chrysocolla uide Serapionem lib. Aggregat. capite Tincar, qui & natiuam chrysocollam in ripis maris inueniri dicit, & esse ex speciebus salis cal. & sicc. 4. grad. Porrò quis sit eius usus in medelis, & quomodo lauari debet, consule L.C. Dioscoridẽ. Est & chrysocolla uenenata, plus dosi iusta accepta.

DE COERVLEO,
Capvt XXII.

GRæcis κύανος, κύανον, Latinis cœruleũ, propter colorẽ, lapis lasuli. Venetus color idẽ, à Germanis lasur. omnia hæc quasi imitãtur Arabes, qui lasuli uocant. eius genera duo sunt, scilicet:

Cœruleum aliud est

Natiuũ foßile, propriè lasur, quod iterũ est duplex

In fodinis Cypri, secundum Diosc. li. 5. c. 56. ex metallis ærarijs, & in nostris aurarijs et ærarijs, ut Lauterbergæ, in Saxonia, ad Hercyniam, & Goldtbergæ in Silesia, species eius nascitur optima, & dicitur schifer blaw. nascitur & in Hungaria, & Lothoringia. Estq; ueluti harenula, seu lapis, seu terra, quæ unà cũ chrysocolla, lapidi fißili adhæret. Hinc Theophrastus etiã bene inquit: Cæruleũ est natiuũ, quod in se chrysocollã continet. Ex cœruleo aurũ conflatur Lauterbergæ, & Goldtbergæ in Silesia. uis eius est in medelis, discutiẽdi, quãuis nonnihil astringat. uritur ut chalcitis, lauatur ut cadmia, à crudo tibi caueas. Plinius lib. 33. cap. 13. eius tria facit genera, scilicet Aegyptium, Scythicũ, Cypriũ: & his accesisse Puteolanum & Hispaniense. Deinde docet ex illo parare lomentum lauando & urendo. Cognatio uero cœruleo, permagna est cum chrysocolla, quæ dicitur schifergrün, berckgrün. Hoc cœruleum dicitur lasur, schiferblaw, berckblaw. Eligi dicit cœruleum inebriatum, durum, ferro parum cedens, mundum à marmore & marchasita, id est pyrite, pulchri coloris. reperitur enim species eius, friabilis immunda, quæ parum utilis. Cæterùm de cœruleo uide & Serapionẽ lib. Aggreg. capite Hager, Alzanard: Mesuam de lapide lazuli. quidã cal. & sicc. 3. grad. quidã cal. 2. sic. 3. grad. uolunt. Est in eo stipticitas, cum acuitate. dosis eius est à 3. 1. usq; ad 3. 1. sup. Facit et mentionem Dioscorides primo capitulo prope cœruleum, lapidis Armenij, quòd scilicet lapis Armenus sit leuis, colore cœruleo. uel ut Plinius uult, maximè uiridis, communicato colore cum cœruleo. Hic lapis adfertur iam pro smaragdo, & utimur illo pro ipso smaragdo, licet malè, er ist nicht so hart als eyn smaragd: aliàs non cognoscitur lapis Armenus. ingreditur is, ni fallor, in confectionem Diasene. Vide de illo Plinium libro tricesimoquinto, capite sexto. Auicennam libro secundo, Mesuam, & alios. Hæc paucis propter studiosos addere de armeno lapide uolui. Postremò de lapide cyaneo uide & Plin. libro tricesimoseptimo, cap. 9. & Solinum capite uicesimo.

In subcaualis specubus maris ex arena litorali.

Factitium, cuius iterum multa sunt genera, & quidem preciosa apud chimistas, & iam ex factitio cœruleo pilulæ parantur magno errato, cum è natiuo & armeno parari deberent: de cuius purgandi ui scripsit Aetius in Nechepsote.

ſilueſtre, wilder waid. de quibus uide Dioſcoridem libro ſecundo de Glaſto cap. conſule Serap. lib. Aggreg. cap. Nileg.

DE CINNABARI VERO, Caput XXIIII.

His terris metallicis annumeremus nos quoq; cum Dioſcoride cinnabarim, terram ſinopicam, lemniam, & alias terrarum ſpecies proximè ſequentes. Dicemus autẽ in hoc præſenti capite de cinnabari uero. Maximum eſt dubium apud medicos, quid ſit cinnabaris, quia nomen hoc cinnabaris multis & diuerſis tribuitur rebus ab auctoribus. Verùm ut eo melius intelligas quid uera, quid ſimilitudinis, quid factitia ſit cinnabaris, obſerua hanc diuiſionem ſequentem.

Cinnabaris

Cinnabaris uel cinnabari duplex est, scilicet

- Verum, de quo in hoc præsenti agemus capite. Verũ ergo cinnabari ueteres dixere sanguinem draconis, & adhuc nomen retinet. Estq; iterũ duplex: scilicet,
  - 1. Rubeum, ut sandaraca & minium: suntq; glebæ non magnæ. utuntur Venetijs illis pictores, quia sanguinem colore imitantur: & utuntur illis etiam medici ad antidota.
  - 2. Atrum, in globi figura formatum adfertur, compreßi tamen, & non assurgentis, quod est adulterinũ. cuius rei indiciũ est nimius lētor. Vidētur enim quædam admixtæ gummi, ueræ cinnabaris particulæ quas licet conspici, idq; medicamentarij pro uero uendunt.
- Metallicum, de quo in sequenti agemus capite.

Vera autem cinnabaris quid ſit, uariæ ſunt ſententiæ. Plinius libro triceſimotertio, capite ſeptimo, uocat Indiacum cinnabarim, differentiæ cauſa: & dicit eſſe ſaniem draconis illiſi, elephantorum morientium pondere, permixto utriuſq; animalis ſanguine: cui aſſentitur Solinus. Leonicenus uerò quiddam metallicum eſſe cenſet, cum Dioſcorides inter metalla id recenſet. Arabes ſuccum eſſe uolũt. Serapio ſideritidis Achilleæ. uerùm Dioſcorides econtra, cum diligenter illam herbam deſcribit, talis ſucci non facit mentionem. Eo tamen in horum ſententiam, qui cinnabarin ſuccum, ſeu lacrymam alicuius herbæ ſeu arboris potius eſſe uolunt, quod etiam ipſe guſtus & ſapor indicat. Ferunt arborem eſſe in Libya, & finitimis regionibus proceram, ex qua ſanguis ille draconis manat: perinde atque in Rhetis è larice, & apud nos è noſtra picea, & abiete tempore ueris manat reſina, quam medicamentarij etiam Itali pro terebinthi reſina uendũt, cũ uera terebinthina maſtichæ Chiæ colore dicitur eſſe ſimilis. Sic Platearius quoq; ſentit, ſanguinem draconis eſſe arboris ſeu herbæ ſuccum in India, aut Perſia.

DE CINNABARI METALlico, Caput XXV.

METallicum eſt alterum cinnabari, & dicitur milton, uel etiam miniũ, & Græcis

uocatur

uocatur cinnabaris: & hoc in causa fuit, quare miscuerunt, & usi sint medici metallico illo, pro uero cinnabari, cum tamen metallicum cinnabari sit uenenum: ô medici resipiscite, nolite obsecro uenenũ illud alicui præbere loco ueræ cinnabaris. Also werden die kirchhöfe vngleich. Est autem duplex metallicum cinnabari, scilicet minium natiuum & factitium.

NATIVVM, à Germanis berckzinober, quod resolutum, fit argentum uiuum, & sulphur: aliàs minium natiuum dicitur, estq; rubri coloris ut sandaraca. inuenitur in argentarijs metallis, ut Plinius scribit. Cordus præceptor meus olim obseruandus, cuius anima sit in sinu Abrahæ, cum omnibus piè mortuis, indicauit mihi quòd hoc natiuum minium reperiatur etiam ad Rhenum, Eberborgi, sicuti Schonbachi inuenitur magna copia. In nostris fodinis Misnensibus habemus uenam eius, queckfilber ertz, quæ tanti precij quondã fuit apud Romanos, ut scribit Plinius libro tricesimotertio, capite septimo. Vnde & Virgilius dicit decima Aegl. Pana minioq; rubentem. Et Plinius nunc uenã minij, nunc minium lapidem etiã appellat. Et ut uidemus generi lapidis fißilis ita adhæret, ut innatum uideatur. Sic enim inquit Plinius libro tricesimotertio, capite sexto: Et est lapis in ijs uenis, cuius uomica liquoris æterni, argentũ uiuũ appellatur. Vitruuius anthracem

anthracem scribit dici hoc minium natiuum, das queckſilber ertz. nam prunæ uena ſimilis eſt. Verba ipſius Vitruuij hæc ſunt: Ingrediar nũc minij rationes explicare: id aũt agris Epheſiorũ Cilbianis primum memoratur eſſe inuentum: cuius & res & ratio ſatis magnas habet admirationes. foditur enim gleba quæ anthrax dicitur, antequam tractationibus ad miniũ perueniat, uena uti ferreo magis ſubruffo colore habens circa ſe rubrũ puluerem. Cum id foditur ex plagis ferramentorum, crebras emittit lacrymas argenti uiui, quæ à foſſoribus ſtatim colligũtur. Hæc Vitruuius. Verùm nota quòd Græci multas res ob coloris ſimilitudinem uocarunt anthracas, ut ſunt:

I. Vena minij, ut hic declarant uerba ipſius Vitruuij.

II. Hæmatites gemma iuxta Plinium libro 36. capite 20. de qua infrà.

III. Gemma illa nobiliſsima, quam Plinius hinc uocat carbunculum, ni fallor, libro 37. capite 7. Eyn carbunckel, à Germanis, oder carfunckel, à Græcis ἀπύρωτος, quòd ignem nõ timeat. aliàs ἀνθρακίτης. uulgus eius genus longè præſtans omnibus rubore & fulgore rubinum uocat: quem lapidem aliàs dicere poſſumus lichniten.

IIII. Terræ genus, cuius ſcriptores rei ruſticæ mentionem fecerunt, credo eſſe illam terram quam Saxones

xones

xones nonnullis locis effodiunt, in ſole ſiccant, & pro ligno utuntur: illa deinde ad fouendum ignem, & proculdubio eſt ſpecies bituminis. Saxones uocant thorff. Eſtq; bitumen calore ſolis exiccatum extra terram mater proculdubio carbonis lapidei, qui eſt bitumen induratum calore intra terram. uocant autem thorff, forſan quia torrefit ſole.

V. Eſt id quod Theophraſtus deſcribit, cum inquit: Quos autem mox carbones uocant in eorũ numero, quæ propter uſum effodiuntur, habendi terreni ſunt. Exuruntur autem, & igni accenduntur quemadmodum carbones. Apud nos genus quoddã reperitur, ſic terræ calore excoctum, ut atrum ac leue ſit, perinde carbo. attamen pingue quo fabri utuntur, à Germanis dicuntur ſteynkolen, quaſi λιθανθρακας. Theophraſtus dicit γεώδεις, quia leues ſunt, ut aquæ innatent, quòd uidetur terræ eſſe excoctæ & raræ. in agro Leodienſi effodiuntur graues, quæ dicerentur λιθώδεις. De his Plinius nihil habet. Græci autẽ tam carbones quàm prunas ἄνθρακας (ni fallor) uocãt, kolen ſie ſind geloͤſcht. vñ ſchwartz odˀ gluͤende, vnd rot, alſo ſind die erſten 2. ſpecies ἄνθρακας wie gluͤende kolen, vnd die letzten zwo, wie die ſchwartzen gelaͤſchten kolen. Cæterùm nota quod et Theophraſtus: uerùm illud miniũ non ἄμμιον, ſed cinnabarin ob coloris ſimilitudinem nominat, ut & alij Græci: nõ quòd ſit uera cinnabaris,

baris, id quod noſter Dioſcorides & Plinius locis citatis etiam uolunt. Poſtremò cum minium natiuum ut ſandaraca rubet, nota illorum differentiam. Ex minio ſiue iam elaborato, ſiue rudi, conficitur argentum uiuum, ut dictum eſt. quod è ſandaraca minimè fieri poteſt: imò dum lauatur uena minij, ut poſtea teratur, cum primum humorē hauſerit, pars ipſius in argentum uiuum mutatur. idq́; rurſus ſiccatum & contritum, redit ad ſuum colorem. Sicuti autem dicimus, milton uel minium natiuum & factitium: ſic etiam à gente uel uſu dicitur μίλτος σινωπικὴ, rubrica Sinopica: μίλτος τεκτονικὴ rubrica fabrilis: ſic λημνία γῆ, uel λημνία μίλτος, de quibus nunc agemus ordine. De argento uiuo in primo libro actum eſt. FACTITIVM, quod conficitur ex argento uiuo & ſulphure à chimiſtis. à Germanis dicitur zinnober à latino nomine. Eſtq́; hoc noſtrum factitium, cinnabari uulgare, vnſer gemeyn zinnober. Eſt & aliud minium adulterinum, quàm illud quod cinnabarim uocant: ſcilicet quod hodie ſolum nomen minij retinet, & conficitur ex plumbo. A Germanis dicitur meninge. Eſtq́; ſpecies ſandaracæ factitiæ. Vide Bulkaſim, & Serapionem libro Aggreg. capite Aſreg, ſiue Aſrangi. Eſt & tertium genus adulterinum, in argentarijs et plumbarijs metallis, exuſto lapide quodam, in uenis reperto: de quo Pli-

nius scripsit libro tricesimotertio, capite septimo. Quomodo uerò cõficiatur miniũ, Plinius ex Theophrasto uidetur transcripsisse.

DE RVBRICA SINOPICA, Caput XXVI.

Dioscorides libro quinto, capite sexagesimo primo, rubricam Sinopicen, quam aliàs uolunt dici lepniam, Græcis Magram uel Mogran, Latinis Sinopidam, eligit eam quæ grauis, densa, iocinoris colore, non calculosa, sibi concolor, & copiose cum diluitur, se diffundens. Deinde docet, quo in loco effodiatur, & unde cognomentum habeat: nempe à Sinope urbe, in qua uẽdebatur olim, uel per quam ferebatur. inuenta primùm in Ponto, Plinius ut refert. Talis rubrica Sinopica glebarum modo è Byzantio adfertur Venetias, licet rarò. interdum ex eadem urbe adferuntur pastilli coloris ferè fului, literis Turcicis signati: quos ob id materialistæ terram sigillatam appellant. Sic olim Lemnia terra, imagine capræ signabatur, quia illi admiscebatur sanguis hircinus. quò se Galenus contulit, ut uideret quantum hircini sanguinis illi terræ admisceretur. Dicebantur autem illi pastilli signati, Sphragida ægos, sigillum capræ. Profectò Lemnus insula, in qua fodiebatur illa terra, nõ longè abest à Thracia, & in eam Turca etiã habet imperium: quare facilè Byzantium portari poßit.

Quòd

Quòd si color talium pastillorũ, quæ adferuntur è Byzantio, minus quàm debet rubricæ respondet, seu conuenit, causa forsitan est, quòd cum terra diluitur, ut in pastillos cogatur, nonnihil mutatur. deinde iam profundius foditur, atq; ita minus calore aduritur. Turcæ magni æstimant ad pestem curãdam tales pastillos. Arabes etiam maximam uim pestis curandæ, adscribunt glebæ Armeniacæ: ut est etiam uidere apud Galenum, qui tradit eam pallidam. Illa profectò non multum huic terræ sigillatæ dißimilis est: nisi quòd Armeniacæ terræ, sigillum nusquam impressum legatur. Vtra hæc terra sit tandem signata redacta in pastillos, cũ literis Turcicis, an sit rubrica Sinopica diluta, an terra Lemnia, an Armenia, nõ magni referre puto, cum easdem uires omnium talium habet: Byzantij inquirenda esset, an è Lemno, an ex Armenia aduehere tur, an à Sinope in Thraciam deportaretur. Olim hoc genus rubricæ proculdubio peculiare fuit. hodie propter Turcarum rabiem non adeò adfertur. Cæterùm de Sinopide illa uide & Plinium libro tricesimoquinto, capite sexto, cum facit eius species tres, rubram, minus rubentem, & inter has mediam: deinde & Serapionem libro Aggregat. capite Mezgreth, ubi etiam species enumerat eius: item & Paulum demo gra Sinopida.


DE RVBRICA FABRILI, Caput XXVII.

RVbrica fabrilis duplex est. à Germanis aũt utraq; dicitur rottel, rőttelstein, wie die zimmerleüt vnd steynmetzen brauchen. à Græcis μιλτος τεκτονική. Est enim alia natiua, alia factitia. Natiua à Germanis propriè dicitur berckrottel. hæc apud nos est fossilis, & reperitur nonnunquam ad ipsa flumina, ut ad Albim: in patria mea ad torrentem Garmersdorfensem, quæ pro parte adhuc ochra est, fieri iam incepit rubrica. & nimium usta ex rubrica, fit pnigitis indurata (ut suprà egimus) sic usta calore solis aut terræ. Dioscorides libro quinto, capite sexagesimosecundo, gigni natiuam in Iberia testatur uersus occidentem, ochra exusta, & de generante in rubricam. Plinius libro tricesimoquinto, cap. 6. de eadẽ natiua scribit, ꝙ in ferrarijs metallis reperiatur. Huius aũt species aliquot iterum habemus. Quædam inuenitur marmorosa, ad fodinas in ualle: quædam econtra insignis, quæ etiam apta picturis, ut Plinius scribit de illa quæ reperitur in ferrarijs metallis. Porrò factitia est rubrica fabrilis, à Germanis braunrottel, quæ fit ex ochra usta, ut Theophrastus & Dioscorides testantur. Plinius autem libro tricesimoquinto, capite sexto, negligentia quadam hoc inuertit, scilicet rubricam fieri ex ochra. nam ochram ex rubrica fieri dicit

exustæ

exusta in ollis nouis luto circumlitis. Sed contrarium est uerum. & natura etiam hoc testatur, ut ipse obseruaui. inueni enim ad flumina aliquoties ochram semifactam rubricam, calore terræ aut solis. at minimè econtra rubricam quæ fieri ochra inciperet. Cæterùm quæ factitia rubrica sit optima, cõmendo fabris. Dioscorides prædicat friabilẽ, nõ marmorosam, natione Aegyptiacam, aut Carthaginensem. Idem & Plinius agit.

SCHEMA DE RVBRICIS.



DE TERRA LEMNIA,
Caput XXVIII.

ΛHMNIA γῆ, uel λημνία μίλτος, Lemnium minium, rubrica Lemnia, terra Lemnia, species rubricæ colore minio proxima. Dicitur autem Lemnia terra, quia ex Lemno deferebatur. Auicenna terram sigillatam & lutum sigillatũ dicit, quia à sacerdotibus Dianæ, signabatur imagine Dianæ, in cuius tutela erat: uel capræ, quia caprino sanguine miscebatur. unde & sphragida ægos, id est sigillum capræ nominabãt. Huc se Galenus contulit, ut uideret quantum hircini sanguinis admisceretur illi terræ: ut inde conijceret, quæ illi uis inesset, & quare tam magni ac mirabilis effectus esset in medelis. Suprà autem attigimus de rubrica, quam terram sigillatam Turcicis literis materialistæ adferant. Nos ueram terram Lemniam iam parum credo habemus, propter Turcæ rabiem, qui imperium habet in Lemnum, licet illinc in Thraciam & Byzantium facilè portari poßit. Pro illa quidam hodie creta figulina signata utuntur. Circulatores quidam nequam in Italia fingunt se de prosapia esse diui nescio cuius Pauli, & uendunt fictitium quiddam hominibus pro Lemnia terra, contra uenena perniciosa pro antidoto. Imperator Turcarum nunc fodinas eius terræ tenet, & mittit cum legatis nonnunquam nostro Imperatori (ut au

diui) pro magno, quia aduersus uenena & pestem præsens sit antidoton. Dioscorides eam nasci docet in Lemno, in cuniculoso specu, palustri loco. idem alij testantur, nempe quibusdam in montibus Lemni, aut circa radices montium, præcipuè circa illum montem in quem delapsus Vulcanus, teste Galeno. Plinius lib. tricesimoquinto, capite sexto, primùm dicit effossam, in speluncis quæ saxis adhæserit, excellentem: & quòd glebis suus color extrà maculosus. Consule & Serapionem libro Aggreg. cap. Theumacen uel humatum, uel Thermathin: Paulum item, & Auicennam de terra sigillata: Nicandrum in theriaca inter antidota contra morsus letales. Plateariùs uocat hanc calcem odoriferam, & terram argentariam, & terram Saracenicam. Nos suprà admonuimus, pro terra Lemnia nunc uendi cretam figulinã signatam. et ipse monet Platearius facilè sophisticari Lemniam terram ex creta. Plinius Lemniam terram proximam esse dicit colore minio. Omnes autem pastilli, quos mihi uidere contigit semel atq; iterum, qui de Lemnia debuere esse terra, fuere aliquamũ suppallidi, propter dilutionem forsitã terræ. Deinde quod profundius iam foditur, atq; ita minus calore aduratur: ut suprà etiam de Sinopide docuimus. Ita uides, cum Deus hominem ex terra creauit, & quidẽ ruffa, econtra homo in terram soluitur, & terra illi contra uenena

& mor

& morbos grauißimos pro antidoto est. & uolunt illam ipsam terram Lemniam maximè conformem esse in temperamento humanæ naturæ. quod etiam constat. O mirabilis Deus in operibus suis.

DE TERRA ERETRIADE, Caput XXIX.

NVnc & alias species terrarum addemus, quarum Dioscorides mentionem facit lib. quinto, capite nonagesimoquarto, quæ olim receptæ in usum medendi fuerunt, quibus uis refrigerandi, meatus obducendi, occludendi. Sunt autem omnino nobis istæ species terrarũ incognitæ. olim ex Græcia ferebantur, iam uerò minimè: forsitan propter Turcarũ rabiem, et alias causas. Et si quis acutè cõsiderare uelit in nostris regionibus illæ omnes species reperiuntur, & quidem præstantes. In hoc uerò capite præsenti dicemus de terra Eretriade. Dioscorides L. C. duas species terræ Eretriadis esse dicit, scilicet albam et cinericeam: quæ cum mollis sit, & trahitur per æramenta, refert lineam uiolaceam: & illa ipsa est tum optima. Docet & idem, quomodo lauentur & parentur illæ species: & quæ his qualitas, nempe astringendi & refrigerandi, molliendi, caua explendi, sanguinolenta conglutinandi: idem Plinius docet libro tricesimoquinto, capite decimosexto. In Saxonia cinerea hæc eius species reperitur aliquoties ad fodi-

nas figulorum, et etiam ad littora fluminum, præcipuè Albis: ut in copia est uidere ad ostium Tangræ in littore cis Albim, regionis Hierichuntinæ.

DE TERRA SAMIA, Caput XXX.

SAmia etiam terra duplex est secundum Dioscoridem: 1. Cādida leuis, tangenti linguæ glutinis modo adhærescens, mollis, succosa, friabilis, cuiusmodi est quam alij Collyrion appellant. 2 Aspera, crustacea, cotis modo prædensa. Vruntur & lauātur ut Eretriades, & uiribus illis sunt uicinæ. Sistūt sanguinis reiectiones, fluxiones uuluæ. Prosunt testium & mammarum inflammationibus, et uenenis & ictibus serpentium. Consule Plinium libro tricesimoquinto, capite decimosexto. & Nicandrum in Alexipharmacis, contra potionē cantharidum. Cæterùm de lapide Samio, cuius usus in poliendo auro, cuius Dioscorides facit mentionem penes Samiam terrā, uide ipsum Dioscoridem L. C. & Plinium libro tricesimosexto, capite uicesimoprimo & Albertum in lapidario suo. Nos terras Samias nomine habemus in fodinis figulorū in regione Hierichuntina, non procul ab Albi, prope pagum Gentin.

DE CHIA TERRA, Caput XXXI.

CHia terra candida est, & crustosa, similis terræ

terræ Samiæ, tum forma, tum uirtute, sicuti docet Dioscorides & Plinius libro tricesimoquinto, capite decimosexto. Præcipuè autem illa commendat colorem corporis, detergit in balneis pro nitro, maximè cutem mulierum. Et hæc terra reperitur in Saxonia multis locis, præcipuè in fodinis prope Belzick oppidum.

DE TERRA SELINVSIA, Caput XXXII.

SElinusia terra eandem habet naturam quam Chia & Samia, teste Dioscoride & Plinio L. C. præcipuè illa quæ resplendet, inquit Dioscorides, candida: uel ut Plinius dicit, lactei coloris, friabilis, et celerrima dilui humore. Plinius eadem lacte diluta interpolari docet albaria tectoriorum.

DE TERRA CIMOLIA, Caput XXXIII.

CImoliæ terræ secundum Dioscoridem duo sunt genera, scilicet alia cãdida, alia ad purpuram inclinat. Optima uerò, quæ innatam pinguitudinem habet, quæ & tactu frigida sentitur. uis est dilutæ excutiendi, cohibendi, infrigidandi. Plinius libro tricesimoquinto, capite decimoseptimo inter cretæ genera enumerat. Fuere olim autem hæ terræ notißimæ, non tantum medicis, sed etiam ad pannos inficiendos, & ad argentum coquendum, ut dicit Gerodius. Vnde & hæc terra

dicta est

dicta est argentaria. Celsus cimoliam terram laudat, quæ sit subcærulei coloris. Vide & Serapionem libro Aggreg. capite Thenchi molea. Fuerũt et de his terris etiam uariæ opiniones. Quidam in Hispania nigram inueniri, quidam marmor esse in uiridi luco, quidam fieri ad rotam illam arenariam qua acuuntur gladij uolebant: & pro ea posuere, illam nostram materiam quæ reperitur ad tales rotas, seu limum aquaticũ. nunc cum rem ipsam ignoramus, nihil uel parum certi etiã de illa dicere possumus. Gallus quidam mihi aliquando demonstrabat pro terra uera cimolia concreticium quiddam quasi lapidosum & pumicosum, wie ein schyrben vom dopff, coloris fermè candidi, tanquam ex spuma maris seu alicuius fluminis conflatum fuisset.

DE TESTIS FORNACEIS, Caput XXXIIII.

TEstæ fornaceæ, von gepranten pothen oder dopffen die scherben, quid etiam poßint in medelis, docet L. C. Dioscorides, scilicet quòd crustas ulceribus obducant, eruptionibus & podagricis prosint, strumas discutiant. Easdem uires & habet terra fornacum, quæ retorrida fuluescit, der geprante leymen, furnemlich auß dem backoffen.

DE TERRA MELIA, Caput XXXV.

TErra Melia olim ex Melo insula ferebatur, colore similis Eretriæ cinereæ, aspera tactu, crepitans, derasa pumicis modo. uim habet aluminosam, ut uult Dioscorides L. C. Hodie quia ex Tripoli Libyæ Aphricæ affertur, lapis Tripolis dicitur. Estq; ille lapis quo solent abstergere barbitõsores pelues. Estq; pallidus in cinereo & flauo. abstergit & specula, & omne quod mundum ita esse debet. In Saxonia crebris locis, præcipuè propè Hildesheimiũ nascitur lapis, qui respondet uiribus, colore, et reliqua natura omnino lapidi illi Tripoli, & Meliæ terræ. Er rauschet, wan man yhn anrüret, & ueluti Melia. Sic omnis terra eligenda, recens, mollis, non lapidosa, friabilis, quæ facilè resoluitur.

DE TERRA AMPELITIDE, Caput XXXVI.

TErra ampelitis quasi uinaria, seu pharmacitis, nascitur in Seleucia Syriæ, laudabilis in primis, nigra, bitumini simillima, assulosa, carbones referens æquabili splẽdore. Soluitur oleo. Vim habet dißipandi & refrigerandi, ut docet Dioscorides L. C. & Plinius libro tricesimoquinto, capite decimosexto. Damnatur econtra quæ candida et cinerea, & in liquorem quæ non resoluitur. Cæterùm

rùm quis eius usus etiam in œconomia, uide L. C. Cigneæ inter lithanthracas, & etiam in inferiori Germania, ubi bituminis reperiuntur species, inuenitur copiose ampelitis, & dicitur à Germanis schwartz kreide.

DE FVLIGINE PICTORIA, Caput XXXVII.

DE his quoq; rebus cum Dioscoride alijsq; breuiter agemus. Fuligo qua pictores utuntur, à Germanis, schmitz, rham, schwertze, iam fit uarijs modis, & multis ex rebus. fit apud nos ex tæda, & dicitur kottelrhom, oder kottlofrohm, oder kinrauch. Dioscorides fuliginem prædicat ex uitrarijs officinis, das auß den glaßhütten wird zůsamen gelesen: cuius uis medica est, astringere & erodere. Vide & Plinium libro tricesimoquinto, capite decimosexto.

DE ATRAMENTO LIBRARIO, Caput XXXVIII.

ATramentum sutorium quid ueteribus, & quid iam nobis sit, suprà egimus. hic uerò de atramento librario pauca cum Dioscoride agemus, von der dinten oder black, ut uocāt Saxones. Modos autem quos docet Dioscorides, quomodo fiat artramentum, omnino iam sunt obsoleti. Nos enim iam multo aliter componimus nostrum atramentū ex uitriolo, galla, gummi, etiam alijs modis, ut

dis, ut sciunt scribæ, quare mutabilis est & qualitas eius iuxta ingredientia. Si uis, poteris atramentum librarium ita diuidere.

Atramentum librarium, dinten oder black, duplex est, scilicet naturale quasi, & factitium. Naturale quasi, succus ille omnino similis atramento librario. 1 in sæpia, in dem blackfisch. de quo consule Dioscoridem lib. 2. Plinium & Nicandrum, aliosq́;, ut de hac suo tempore agemus. 2 in eruca terrestri alba, qua comesta moriũtur sues, de qua in libro secundo Dioscoridis aliquando agemus.

Factitium iuxta Dioscoridem, 1 ex fuligine, è tædis coacta. 2 è fuligine resinarum, & pictoria, cui uis erodendi. Factitium uerò nobis, 1 ex lapide de quo suprà egimus in capite de pnigite. 2 ex charta combusta. 3 ex semine alni. 4 ex lacte & cote. 5 ex fuliginibus. 6 ex uitriolo, galla, & gummi.

Plinius libro tricesimoquinto, capite sexto, docet & alios modos, quibus olim atramenta libraria sint composita, nempe ex terris coloris sulphurei, ex carbonibus digestis in sepulchris, ex fuligine. Sed de his satis. pergemus.

DE FECE, Caput XXXIX.

FEX à Germanis hefen, oder berme secundũ Saxones. Intelligimus autem semper uini fecem, ut Dioscorides etiam libro quinto, capite septuage-

ptuagesimonono docet. Deinde etiam addit fecem aceti, et quomodo siccata crematur, ut halcyoniū, & etiam alijs modis: quæ illi uis medica, nempe adurens & abstergens: quid poßit cruda, usta, elota. De fece uini consule Serapionem libro Aggreg. capite Haarim. De fece autem indurata uini, unde fiat tartarum, der Weinsteyn, consule Paulum de tartaro.

DE CALCE VIVA, Caput XL.

CAlx uiua, non extincta, asbestos, fit uarijs modis. In quibusdam locis fit lapidibus uel calculis litoralibus, coloris cæsij uel cinerei, candidiue, cuniculis nempe actis in agris ad littora, uel simpliciter collectis calculis ad litora, aut etiam erutis proprijs fodinis: ut fit in patria mea ad Salam, & alijs locis, auß den kalckbrüchen vnd bergen. Fit & ad mare ex testis ostreæ & marmorum buccinorum: & de corticibus ouorū, ut pro parte docet Dioscorides libro quinto, capite octuagesimo, & Plinius libro tricesimosexto, capite uicesimotertio & uicesimoquarto: item libro tricesimotertio, capite quinto: lib. decimoseptimo, capite octauo, ubi de calce agit. Est autem calx uiua, der vngelescht kalck, duplex, coloris candidi & cærulei, graw vnd weiß. Vis omniū est adurens, ignea, mordens, crustas inducens. Vrit in summa, discutit, & extra-

extrahit. Odit naturaliter aquam qua accenditur, amat oleum quo etiam facilimè commiſcetur. Vide de calce et Serapionem libro Aggregationum, capite Horach.

DE GYPSO, Caput XLI.

GYpſum à Germanis dicitur ſparkalck, oder gyps à latino, Saxones uocant ſparkalck: quia fit forſitan ex lapide ſpeculari, quem uocant ſpar oder ſperglaß, propter uitri ſimilitudinem, alſo daß auß ſperglaß, wird ſperkalck. Eſt autem gypſum cognata res calci, ſed non eſt ita calidum. Differunt quòd calx reſtincta humore aliquo acquirit calorem, gypſum uerò non accenditur reſtinctum. Vis illi eſt aſtringere, obſtruere, potu ſtrangulat. Conſule Dioſcoridem libro quinto, capite octuageſimo primo, & Plinium libro triceſimoſexto, capite uiceſimoquarto, licet olim uino illo condiebantur. Vſus eius tantum extrinſecus eſt propter nimiam eius exiccationem & ſtrangulationem. Eſt uerò duplex gypſum. Vnum eſt foßile & natiuum, & è terra effoditur, ſumma tamen tellure. Eſtq; res ſimilis ferè nitro, latis nonnunquam uenis. Notum illud Theophraſto, & Plinio, qui Theophraſtum imitatus eſt. & nomen ſuum apud nos retinet, & dicitur gyps. Reperitur aliquot locis, atq; etiam ad Albim. nam Albis ubi inundauerit, ſecum uehit gypſum & lapidem ſpecularem.

Alterum gypsum est factitium, & fit seu coquitur (utar enim uerbo Plinij) ex lapide albo, simili alabastriti, cuius lapidis quasi uenæ reperiuntur in Saxis Ienæ & ad syluam Hercyniam: item in patria mea ad fodinas, & in Saxonia ad ipsa flumina, ut supra docuimus. & mihi uidetur quòd ille lapis sit quasi medulla indurata saxi, steinmarck: aut uidetur esse species aphronitri, aut gypsi ueri, aut lapidis calaminaris. Vnde et quidam Saxones et hũc lapidem uocant, vnser lieben frawen eiß, cum sic calaminaris lapis propriè dicitur. Secũdò gypsum factitium fit ex lapide illo scißili speculari, qui à Germanis dicitur sperglaß, glacies Mariæ, vnser lieben frawen eiß, quia repræsentat formã glaciei. & hoc est optimum gypsum, ut testatur Plinius libro tricesimosexto, capite uicesimoquarto. De lapide uerò speculari infrà libro tertio plura dicemus, de lapide Arabico et Selinite. Albertus gypsi extremitatem natiui uult esse lapidem specularem. Cæterùm de gypso consule Plinium L. iam C. & libro tricesimoquinto, capite duodecimo, et decimo septimo, & Serapionem libro Aggreg. capite Gypsen uel Iigetin.

DE CINERE SARMENTICIO, Caput XLII.

Cinis sarmenticius à Germanis dicitur reben asch oder esch, weinreben asch. Estq; cinis ille

ille non tantum utilis medicis chirurgis, sed & chimistis. Plinius et Dioscorides eius non uulgares enumerant uires. Cōtinet uim salis, at leniorem: erodit excrescentias carnis. Virtus autem eius diuersificatur secundum combustæ materiæ differentiam & qualitatem. Vide Serapionem lib. Aggr. cap. Mamad, Galenum etiam in 8. Simplicium.

DE HALCYONIO,

Caput XLIII.

QVæ sint aues dilectæ Tethidi halcyones, quæ species, quando fœtificent, quis modus parādi nidi, quæ eius forma, uide Plin. lib. 10. cap. 32. & lib. 2. cap. 49. & lib. 18. cap. 26. & illam lepidißimā fabulam apud Ouid 11. Metamor. & alios qui de talibus scripsere. Nos quoq; si uitam nobis Deus dabit, libellos edemus de piscibus & uolucribus. & cum halcyones habemus in inferiori Germania, imò ad ipsam Hauelam flumen, diligentißimè naturam & formā illarum tum explicabimus. Meritò quidē Glaucis Nereidibus, ut noster dicit Virgilius & Theocritus, halcedones uel halcyones aues pulcherrimæ sunt uoluptati. Ab istis ergo halcyonibus nomē habet halcyonium: seu ceycū à Ceyce, de quo hic agemus. Est autē halcyonium nihil aliud, q̄ maris spuma cōcreta, & intus res scißilis, stimulans in faucibus & oculis. Vnde & hodie spuma maris in officinis dicitur. Sed

non est spuma salis illa seu maris, de qua suprà egimus, licet cognatio in his quædã sit. spuma enim salis illa est lanugo siue ramentũ spumosi maris in petris coagulatum. Hoc uerò halcyonium est spuma maris concreta, scißilis & spongiosa. Dicitur autem halcyonium, quia halcyones aues cõdunt nidos pendentes æquore, ut Poeta dicit, ex isto spongioso & cõcreto quasi lapide, uel iuxta hanc concretam spumam. Dioscor. lib. 5. cap. 83. quinq; genera halcyonij recitat, hodie uix unum et alterum habetur, scilicet: Est halcyonium primum spissum acerbi saporis, spongiosa facie, tetri odoris, piscem olens, es fischenzet sehr. hoc in littoribus maris & etiam ad Hauelam reperitur, ubi sunt halcyones (quæ ab incolis dicuntur, licet impropriè, waßer hünlein, & aliquo modo propriè eißvögel, quia glaciosa hieme nidificat & excludit pullos. Illo tamen nomine dicitur & alia auis, nempe quæ ispida est.) Secundũ halcyonij genus est simile pinnulis oculorũ, aut spongiæ, fistulosum, leue, odorẽ refert algæ. Hæc duo prima genera in smegmata fœminarum sumuntur. Hinc Ouid. dicit de Med. faciei:

Addita de querulo uolucrum medicamina nido,
Ore fugant maculas: halcyonea uocant.

Tertium genus est in forma simile uermiculo, & magis uergit ad purpuram: & illud uocant Milesium. Estq; diureticũ. Quartum genus est succidis uelleri-

uelleribus nō dißimile, multisq; hiat inanitatibus, leue. Quintum genus existit fungi figura, sine odore asperum: in Propontide iuxta insulā Besbicon nascitur: & patrio nomine, quia salsum & asperum est, uocant halosachnē. Estq; aptum dealbādis dentibus. & hoc assumitur ad smegmata & psilothra. Cæterùm quomodo cremari & lauari debēt halcyonia, uide Dioscoridem L. C. & Bulkasim. Plinius lib. 32. cap. 5. fieri halcyonium dicit ex nidis halcyonum siue ceycum, aut è sordibus spumarum crassescentibus, aut è limo, uel quadam maris lanugine. et facit eius genera quatuor. Primum cinereum spissum, odoris asperi: secundum molle, leuius, odore ferè algæ: tertium candidioris forma uermiculi: quartum pumicosius, spongiæ putri simile, penè purpureum quod optimum, Milesium uocetur. Cæterùm de uiribus illorum eundem consule L. C. & Serapionem lib. Aggreg. cap. Zebus Albach, siue Zebethabahar: Almansorem 3. tract. capite Spuma maris. qui omnes has species dicit calidas & siccas. Postremò fuerunt & qui halcyonium non spumam maris esse dicerēt, sed idem hoc quod artis, id æst, adarce dicitur, & caro marina. Verùm hi errarunt. nam quid adarce propriè, in sequenti capite dicemus.

DE ADARCE, Caput XLIIII.

ADarces, artis, & caro marina ſecundum nonnullos ſimiliter res eſt, in maritimis locis naſcens, præcipuè in Cappadocia ſeu Galatia. Eſtq; concreta tanquam ſalſilago, humidis & paluſtribus locis emergēs, ſiccitate, ac arūdinibus & herbis agglutinata. Indicum natiuum (ſicuti ſuprà docuimus) ueluti in arundinibus Indiæ ſponte naſcitur, uel ut ſal Indum in canna. Similis uerò adarces res eſt in colore flori lapidis Aſij, & in forma molli halcyonio, & aliquantum cauo proxima, ut poßit uideri lacuſtre quaſi halcyonium: & quia ita pendet arundinibus, pericalamitum & calamochium quondā dicebatur. hodie, niſi fallor, balla marinum uocant. ita uidemus medicos his ridiculis ſæpe uti, contemptis nobilioribus. nonnunquam etiā res ita obſcuris uocāt uocabulis, ut Oedipo ipſo foret opus. quoties enim ſcribunt, Recipe adipem infamis deformis, & lachrymam uitis Dionyſiacæ: quis hæc intelligit, niſi Oedipus? infantem deformem quis ſubitò urſam intelligeret: & lachrymam uitæ Dionyſiacæ, id eſt, gūmi hederæ? Cæterùm adarces quas habeat uires in medelis, docet Dioſcorides libro quinto, capite octuageſimoquarto, Plinius libro triceſimoſecundo, capite ſexto, qui adarcem naſci ait circa harundines tenues è

ſpuma

ſpuma aquæ dulcis, ac marinæ, ubi ſe miſcent, & habere uim cauſticam.

DE SPONGIIS, Caput XLV.

Spongia ſeu fungus marinus, attrahens & aſſeruans aquam, à Germanis ſchwam, eſt zoophyton, neq; animal, neq; frutex: ſed tertiam quandam habet naturam, & illi cõmixta eſt natura animalis & plantæ, hinc Auicenna definiens ſpõgiam inquit: Spongia eſt corpus marinũ, laxum, rarum: quòd cui rei adhæret, ab illa nõ ſeparatur, habetq; animas: calidum in primo, ſiccum in ſecundo gradu. Dioſc. lib. 5. cap. 85. eius duo genera eſſe dicit, ſcilicet marem & fœminam. Marem exiſtere denſis & exiguis fiſtulis, albis: cuius ſpeciei duriores dixere olim Tragos: econtra fœminã magnis exiſtere foraminibus rotũdis. Quidã addunt & tertiam ſpeciem, habentẽ intra ſe lapides duros, & plurimas cauernas. Iſtorum lapidum in tali ſpongia & Auicenna L. C. mentionẽ facit, quòd ſcilicet ſint minus calidi quàm ipſa ſpongia. Dicuntur autem iſti lapides à Plinio libro 36. cap. 19. Cyſteolithos, quoniã medentur ueſicæ, & calculũ in ueſicis rumpunt, ut in tertio de gemmis repetemus. Inueniuntur & in ipſis ſpongijs in mari & in fœmina nuclei (licet rarò) in modum pomi perſici, aut amygdalæ enucleatæ, ut mihi aliquando Iudæus medicus

ueteratir demonstrabat. Et hi nuclei sunt magni momenti in medelis, præcipuè contra puerorũ uermes, in uentriculis. Cæterùm spõgia quomodo aduratur, quæ illi uis medica, cum fuerit recens, cum fuerit adusta, arida, uetus: item quomodo cura & studio candida fiat: consule Dioscoridem L. C. & alios. Serapio Aggreg. cap. Affegi albach, uel affengara, easdem spongiæ esse species affirmat. Plinius lib. 9. cap. 45. & lib. 31. cap. 11. ubi & mentionem facit urticæ marinæ, spongiarũ tria etiam perstringit genera. scilicet, spissum, prædurũ & asperum, quod tragos dicatur: & minus spissum et mollius, quod manos uocetur: postremò tenue, densumq́;, ex quo penicilli, idq́; Achilleum appelletur. Nasci autem omnes spongias docet in petris, ac ali conchis, pisciculis, limo: prætereà illis inesse intellectum: quia cum sentiunt auulsorem contractæ, multo difficilius abstrahuntur. & hoc idem faciunt fluctu pulsante. audire enim illas sonum, & contrahi ad illum. Reliqua quibus argumentis idem Plinius L. C. probet uesci ac ali spongias conchis, item quomodo auulsione emittant sanguineũ succum, & ex radice renascantur, item quæ aplysiæ, quæ malæ, quæ bonæ, ipse uidere poteris.

Spongia duplex est, marina scilicet, & nostra. Marina, Schwem wie sie die krämer feyl haben: 1. Mas, 2. fœmina, continent nucleos. 3. species quæ

continet lapides. Nostra quæ marinæ partim similis est, & nutritur humore pratorum, à Germanis ein posist, ualde accedit ad naturam marinæ spongiæ, ut testatur ipsa experientia. huius iterum uariæ species, si quantitas & ipsarum interior lanugo consideratur.

Hactenus de rebus metallicis egimus, id est, de ipsis metallis seu mineralibus, tum maioribus quæ originẽ habent ex argento uiuo & sulphure: tum etiam de mineralibus medijs seu remotis, quæ chimistæ uocant spiritus: quia in spiritum & aërem igne soluuntur. Nunc addemus tertium librum (Deo fauente) de gemmis & lapidibus, alijsq; rebus in medelis preciosis.

FINIS.

CHRISTOPHORI ENCELII SALVELDENsis de Lapidibus, & gemmis, alijsq; rebus preciosis in medelis, Liber Tertius,

DE FLVORIBVS, Caput I.



FLVORES, à Germanis flüsse, lapides ex fodinis similes sunt gemmis ipsis, sed minus duri, metallici uocãt fluores: siquidẽ ignis calore, ut glacies sole, liquescũt & fluunt. suntq; fluores quasi cõtrarij metallis istis medijs seu remotis, quæ in spiritus & aerem soluuntur. Theophrastus ipsos si nouisset, ἐκ συῤῥοῆς uocasset, quòd fluxu in terra fierent sed credo ignotos fuisse omnino ueteribus. Verùm ut fluorum species agnoscas melius, propter studiosos more consueto subijciemus.

Rudimenta gemmarũ, & similes gemmis sunt fluores, die flüße, noti in fodinis, suntq;:

1. Rubri coloris. uidentur primo aspectu argentum quasi rude rubrum: quanquam & hoc interdum translucidum apparet. Videntur etiam esse carbunculi: sed perspicui languidius refulgent. qui

uerò

uerò non translucent, uel eo ipso distinguuntur à carbunculis. Omnis autem generis fluores quamprimum ignem senserint, diffluunt. carbunculi uerò igne non liquescunt.

2. Purpurei coloris dilutioris. Videntur esse amethysti uiridiores, quales in Bohemia reperiuntur multis locis, & certè non multũ dißimiles eis sunt: quare uulgus his illuditur, deinde amethystos non nouit. Nequam annulis inserunt, & uendunt pro amethystis.

3. Candidi coloris. Videntur esse crystalli.

4. Lutei coloris. Videntur quasi topazij esse.

5. Cineracei coloris.

6. Subnigri coloris. Sunt & fluores aliorum colorum, si quis diligentius inquireret.

Est autem fluorũ usus, dum metalla excoquũt, illos adhibent, & inijciunt. reddunt enim materiã in igne fluidiorem, perinde ac lapidis genus quod è pyrite conficitur. Ex talibus fluoribus credo fierent optimi colores, si quis tentaret.

DE SAXIS,

Caput II.

Ex fodinis eruuntur quædam species saxorum, quas nec te latere uolui, optime lector.

Saxum aliud ex fodinis est:

1. Fißile, der schyffer, coloris quasi cærulei: quod aliquando nigrius, aliquando albidius esse solet. Estq;

let. Estq; quasi species pyritis, & lithanthracarum, ut in prioribus libris docuimus.

2. Saxum quod Germani uocant Quartzum. idq; interdum est candidissimum: & huic scintillæ auri adhærent, ut de auro docuimus. interdum subluteum, interdum etiam subcæsium.

3. Saxum, quod spathum, Spath Germani uocant, quod est politius & densius cæteris.

4. Saxum cornutũ, siue silex, à Germanis horn steyn, quia habet colorẽ cornu, uel refert quiddam cornei. longè est durissimũ. & partes eius interdũ sunt cõtinuatæ, ut unam ab altera uisus discernere nequeat: interdũ conspicuæ aliqua intersectione.

5. Arenosum, quod ex arena quodammodo con creuerit. Germani uocant Sandtsteyn. Hinc cum ingentis est magnitudinis, fiunt molares, gemmæ preciosæ notæ molitoribus, quibus minimè carere possumus. Cuius species iterum sunt uariæ, nempe coloris candidi, pallidi, cærulei, ruffi ad Rhenum, flaui, subnigri.

DE CORALLIO, Caput III.

SEquuntur nunc gemmæ. Bassad, besed, bassath Arabicè, Latinis corallium dicitur, & à nonnullis λιθόδενδρον. Metrodorus uocat γοργίαν à fabulosa forsitan eius origine de capite Gorgonis. Plinius libro 32. capite 2. coralliũ dici ait, quòd

occupetur

occupetur aut euellatur retibus, aut acri ferramento præcidatur. Hinc & dicitur à nonnullis cæralium, ciralium, curalium. Est autem corallium nihil aliud quàm frutex marinus, qui alto extractus induratur, atq; emergit, & protinus concrescit obfuso ære. De origine coralliorum Ouidius 4 Metamorphoseon pulcherrimam adfert fabulam, nempe hanc: Cum Perseus caput abscisum Medusæ in arenam substratus folijs & uirgis ad litus poneret, uirgæ induruere tactu capitis. Quod fieri cum nymphæ pelagi spectarent, & plurib. in uirgis contingere uiderent, sparserũt illas uirgas hinc inde per mare, quæ semina quasi mansere coralliorum. Vnde Poeta idem L. C. scitè inquit:

Nunc quoq; coralijs eadem natura remansit,
Duritiem tactu capiant ut ab aere: quodq́;
Vimen in æquore erat, fiat super æquora saxum.

Item libro 15. sic inquit:

Sic & coralium quo primùm contigit auras
Tempore, durescit: mollis fuit herba sub undis.

Sic lapis lyncurinus ex urina lyncis aere congelatur in saxum: ueluti illa planta marina congelatur aere in gemmam corallium: & ueluti (teste Plinio & Solino) uniones molles in aquis exempti, protinus aere durescunt. Contrarium fieri in alnis & silice dicit Pontanus in Meteoris, capite 44 de amaris fontibus, cum inquit:

Videas

-Videas lapidescere Sarni
Cæruleo sub fonte alnum, filicisq; maniplos,
Et paleæ intortos lento cum uimine culmos.

Nam sicuti planta coralliorum aere congelata fit lapis: ita alnus & filix herba, in aqua fontis Sarni fiunt lapides. Idem Seneca fieri testatur in alijs Italiæ locis, ut si uirga uel frons demergatur, lapis post paucos dies extrahatur, propterea quòd forsitan circumfundatur limo, qui corpori paulatim allinatur. Sic Ouid. 15 Metamorph. flumē Ciconum carnea uiscera potu docet saxea reddere. Sic apud nos in fluminibus quercus nigræ fiunt, & quasi lapidescunt. Qualis autem sit herba uel planta, uel quales uirgæ, unde ita indurentur corallia, parum constat. Plinius libro 32. cap. 2. coloris uiridis esse plantam dicit, cui sint baccæ candidæ sub aqua, ac molles: quæ exemptæ confestim durentur, & rubescant quasi corna satiua. Sunt autē coralliorū tres species iam notæ, scilicet: album weiß corallen, ignotum omnino Dioscoridi: deinde rubrum, roth corallen, lithodendron: tertium est nigrum antipallas, schwartz corallen. & id cum est nigerrimi coloris, quoniam est rarum, in magno nunc est precio. Contra morbum phrenesin, præsentißimū est remedium. In Ligustico mari primùm dicitur inuentum. Dioscorides libro 5. cap. 86. celebrat rubrum & nigrum. Et rubri patriam Syracusas docet.

cet. item quod'nam sit optimum, quódue malum corallium, quæ illi & uirtutes medicæ. Plinius loco citato corallia apud Indos in maximo docet esse precio inter alia, quia illorum aruspices uatesq; baccas corallij gerant quasi religiosum gestamen amoliendis periculis. & quòd Galli illis olim gladios, scuta & galeas adornarunt: & quòd surculi adalligati infantulis, tutelam habere credebantur. quā consuetudinē nostræ matronæ adhuc retinent. nā pueris appendūt corallia cōtra nescio quos morbos. Imò olim corallia matronarum & puellarum ingenuarum commune gestamen erant, ad conciliandam gratiam. nam hanc illi inesse uim prædicant. Steindaliæ in metropoli ueteris Marchiæ, nobiles matronæ adhuc corallijs sese adornant, interserto argento, certo artificio ad id composito. Veteres quoq; magi qui singulis planetis suo more rebus quæ his dicatæ erant sacrificarunt, Soli styracem & mastichem, Veneri corallia obtulerunt, tanquam deæ gratiæ, rem quæ conciliaret gratiam puellis. At nunc aurea sunt secula. contemptis corallijs, nostræ puellæ auro se gratas faciunt, & sibi conciliant formam. Solinus capite 8 de corallijs citat Metrodorum & Zoroastrem, & nescio quas fabulosas enumerat uires corallij contra fulmen et typhones. Si uis, uide Serapionem libro Aggreg. cap. bassath. is fruticis corallij radicem uocat Nigem &


gem & Mergem, econtra ramos ipsos dicit bassath. Auicenna etiam corallia tractat. & hi tribuunt coralijs uim contra epilepsiam, sanguinem, mala somnia & medicamenta. Vtuttamen fabulosa hæc uidentur, testatur experientia, corallia rubea albescere, quoties à homine gestantur iam uicino morti, aut laborante morbo periculoso, nedum quòd corallia, præcipuè rubra adusta, maximam uim (quod expertus loquor) habent in frangendo calculo uesicæ. Cæterùm de reliquis illorum uiribus consule L. C. Sed nec hoc te latere uolui, Plinius libr. 36. capite 19. corallium pyriten dici ait, quia illi plurimum sit ignis. Sed non est pyrites, id est marchasita: nec eius species, de qua suprà egimus libro 1. Pyrites sic Plinio genus est, nō species. estq; illi pyrites omnis lapis quo ignis excutitur. Postremò fuerunt & qui dicerent contra sententiam horum omnium auctorum quos citauimus, corallium substantiæ esse terreæ, & reperiri in locis marinis, & montibus, maximè cauernosis locis, & in mari existentibus. Fieri aūt ex glutinosa et humida uiscositate terræ, adhærente lapidib. quæ condensata sit, tū propria, tū maris caliditate et siccitate, et transmutata in substantiā lapideā: ita, ut quod maiorem habeat siccitatem, fiat rubeum: & quod maiorem aquositatem, fiat candidum, seu album frigidius rubro, & sic fieri à natura in modum ramorum arborum.

borum. His quid respondeam, in promptu iam non habeo. Turpe est à sententia doctissimorum uirorum, quos iam citaui, recedere. Deinde corallium ex frutice fieri, indicat ipsa forma, repræsentãs fruticem ramis. sicuti ego corallium ingentis magnitudinis aliquando uidi apud quendam episcopum.
Econtra ego ad Albim prope ostium Tangræ, in loco quem infrà describemmus, inueni uerum album corallium. Quod procul dubio tali modo ex uiscositate terræ factum erat, induratũ calore proprio, & aqua. Inueni & illo in loco ipsos silices ramis insignes. quid si natura gemmã tam nobilem utroque modo, ex frutice indurato aere, & ex uiscositate terræ facere uoluisset, ne deficeret plurimo usu? Sicuti sæpe uidemus res uarijs modis fieri, ut ego obseruaui lumbricos illos aquaticos die neunaugen, item anguillas & murænas gigni uiscositate terræ: deinde mutua attritione ex saliuario lentore quem faciunt: tertiò, ex ouo, more reliquorum piscium. Quamprimùm uerò exclusi, suscipiuntur in branchias, & illis fouentur (ut Nicander dicit de sæpia & lepore marino) à pisce ploceno, ut ita dicam, von den plotzen. & ab his piscibus, qui à rubore oculorum dicuntur rotaugen. Item à murilegulis piscibus, von den deueln, qui uorant aquaticos mures. Item à gusteris & uckelaugis istius nominis piscibus. sicuti mihi piscatores ad ostiũ Tan-

græ ſæpe oſtenderunt, ita & lupuli aquatici iam editi ex ouo ab his piſcibus in branchijs fouentur, propterea lupi aquatici etiam tales nō comedunt, nec lædunt, ne nutrici malam referant gratiam. anguillæ tamen ingratæ ſobolem talium piſcium uerum plurimum comedunt, imò nutricem ipſam, ut cuculus garrucam. Sed redeamus ad corallia.
Ars quoq; imitando naturam, corallia facit. Factitia enim corallia inueniũtur, quæ optimè mentiuntur natiua. Conſule chimiſtas nonnullos, ui illa probè componere ſciunt.

SCHE-

SCHEMA.


Corallium
Natiuum
Factitium arte, & adulterinum.
Ex planta maris indurata aere
Ex uiscositate terræ indurata calore proprio & aquæ.
Rubrũ lithodendron, rot.
Nigrum antipathes, schwartz.
Album, weiss.
Corallen.

DE LAPIDE PHRYGIO, Caput IIII.

LApis Phrygius, optimus pallidus, modicè grauis, non ſolida compage corporis, intercedentib. albis ſegmentis, ut cadmia. nomen inde inuenit, quòd olim in Phrygia illo utebãtur fullones in tinctionibus. Vide Dioſcoridem libro quinto, capite octuageſimoſeptimo, qui eius patriam, uim medicam, modum urendi & lauandi docet. Apud nos iſtius lapidis uariæ reperiuntur ſpecies. Primùm habemus ſuccum glutinoſum, quẽ uocamus waſch erde. Habemus porrò in Saxonia terras glutinoſas & pumicoſas, quas uocant Waſcherde ab effectu, quibus utuntur fullones in lauandis pannis. Plinius libro 36. capite 19. Phrygium lapidem gentis habere nomen dicit, & eſſe glebam pumicoſam, utilem tantum tingendis ueſtibus.

DE LAPIDE ASIO, Caput V.

LApis Aſius optimus eſt (teſte Dioſcoride libro 5. cap. 88. qui colore eſt pumicis, bleych farb, lèuis, fungoſus, friabilis, ſciſsiles uenas luteι coloris ad imum actas habens. Dicitur autem lapis, tantum propter colorem & ſubſtantiam lapidis. nam duritia ſua non eſt lapis, ideo quia leuis eſt & fungoſus. Vocatur uerò lapis Aſius, quòd in Aſſo monte Troadis naſcitur, & non tantum in Aſia.

Vis

Vis eius astrictoria est, & modicè erodendi, & leuiter corrodendi superfluā carnem. hinc & sarcophagus dicitur. & est unus lapis, sarcophagus à potentia, & Asius à natali. licet Plinius in eodem loco, ex quadam incuria libr. 36. cap. 17. diuersum ponit. Nam dicit Aßium lapidem gustu salsum, lenire podagras: & in istis lapidicinis sanari omnia crurum uitia, cum in metallis omnib. crura uitientur. cum prius in Asso monte Troadis sarcophagū lapidem fißili uena scindi doceat, & in eo corpora defunctorū condita absumi 40 diebus, exceptis dentibus. Cuius & meminit lib. 2. cap. 98. Qualis uerò sit lapis ille, uulgò ignoratur. Habemus tamen eum in Germania, & in eius superficie, circa eum et sub eo flos nascitur, & salsa lanugo specie nitri, quæ dicitur flos Asiæ petræ. & ut Dioscorides loco citato testatur, est salsugo subflaua, summo lapidi insidens, compage tenui, in aliquibus colore albo, in aliquibus pumici simili, ad luteum uergente, admota linguæ aliquantū mordens: uiribus lapide ualidior. qui flos siccatur & lauatur, & uarios usus habet in medelis. Suprà autem docuimus in capite nitri, fermè unum esse aphronitrum, id est spumam nitri, florem petræ, & florem Asiæ petræ. et differre paululum substantia. nam flos iste Asiæ petræ resoluitur igni, ideo non uritur: spuma autem nitri nostri non resoluitur. Ienæ pulcherrima spe-

cies aphronitri reperitur, quæ respõdet plurimum Asiæ petræ descriptæ à Dioscoride. estq; flos Asiæ petræ quasi species aphronitri. Huic flori Asiæ petræ colore similis est adarces, de qua suprà. Cæterùm hunc florem petræ Asiæ Plinius L. C. & pumici ruffo similem dicit. is nos latet. Consule Serapionem lib. Agg. cap. Hager Asios, ubi florem eius sucam uocat, & diuersas eius species ponit. Nam quidam flos eius est albus, qui apud nos plurimũ reperitur circa Ienam: quidam ruffus seu rubeus, qui est Plinij ille: quidam pumici similis, declinans ad croci colorem, qui est Dioscoridis ille flos petræ Asiæ. Volunt illum florem Asiæ petræ nasci ex rore maris, imbre superueniente.

DE HÆMATITE, Caput VI.

HAematites, sedeneg Arabicè, à Germanis blůtsteyn, propter colorem sanguïneũ quo tingit, & etiam spectatur, præcipuè qui fossilis est in fodinis, & propter effectum etiam quem habet in sistendo sanguine, in omni fluxu sanguineo. Plinius uarias eius species facit. Est enim hæmatites diuersus secundum regionum natales, in Libya, Aegypto, Hispania, et apud nos in Cheruscis, Northusiæ, quæ patria est Laurentij Hameri uiri clarissimi: item Hattesgerodæ, in Saxonia Goselariæ: in Sudetis montibus, Annebergo & Geuro: ad Salam

lam, Salueldiæ, Salburgiæ, Ienæ. Est & diuersus hæmatites, si mollitiem & duritiem eius conside-ras. Sint ergo hæ eius species mihi notæ.

HAEMATITES.

1. Fossilis, qui celebratur à Dioscoride libro 5. cap. 90. cuius patria Aegyptus est. niger, colore sa turato, durus, friabilis, suo ingenio æqualis, nulla sorde admixta, nulloq; zonarum discursu. Hæc pri ma species inter fossiles hæmatites nostros reperi-tur, sed rarissimè uix unum & alterum uidi, uul-go aliàs omnino ignotus.

2. Niger reperitur Goselariæ, reddēs succum cro ceum: durissimus, incognitus etiam officinis. Repe ritur & is, licet rarò, ad Hercyniā syluam in Che-ruscis. Estq; procul dubio gemma seu lapis Alber-ti Medus niger, qui tritus reddit croceum succum. Cuius altera species uiridis. Dicitur autem Me-dus, quia à Medorum regione adfertur, & reperi-tur ad Phasin.

3. Fossilis in Hassia, multis in locis reperitur, qui purpureus fissilis, seu scissilis.

4. Fossilis pulcherrimus nascitur in Geuro et An nebergo, Salueldiæ. Hunc laudant aurifabri, quòd sit ad cotem durissimus, ad gemmas poliendas. ni-ger est, & quasi turbinatus.

5. Fossilis reperitur in ijsdem locis, niger, tres ad cotem reddens colores, Tricbrus qui possit dici:

ſicuti Plinius libro 37. cap. 10. trichrum ex Aphrica deſcribit nigrum, qui tres ſuccos reddit: à radice nigrum, medio ſanguineũ, à ſummo candidũ. et hic quoq; noſter ille trichrus turbinatus eſt, & durus.
6. Reperitur in Cheruſcis, Northuſiæ, Hatzgerodæ, quibuſdam in montibus, qui omnino formam cerebri detecti præbet, longè pulcherrimus. Cuius formam ſatis mirari nequeo. & eius uirtutem mirabilem in ſiſtendo ſanguinẽ ex narib. expertus ſum.

Plinius lib. 36. cap. 20. hæmatiten & ſchiſton cognationẽ habere docet. & hæmatitẽ diſcernere uenas rubentes, & quòd ſit natura friabilis. Præterea hæmatitẽ et anthracitin uocari ait. quo nomine anthraces Græci multas res dixere, ut ſuprà docuimus. Facit autem eius 5. genera ſecundum Sotacum, præter magnetem.

HAEMATITES PLINII.

1. Aethiopicus, utiliſsimus oculis, ex ijs quos uocant panchreſtas. hunc idem Plin. lib. eod. cap. 16. hæmatitẽ magnem uocat. & reperiri eum dicit in Aethiopia, ubi ſit magnes ipſe Aethiopicus. eſt uerò iuxta eundẽ hic ſanguinei coloris. ſi teratur, ſanguineũ & croceũ reddit ſuccum, ſed tamen ferrum non attrahit ut magnes. & profectò eſt magna cognatio magnetis & hæmatitis. Ex magnete uehementer calore ambuſto fiunt hæmatites. 2. Androdamanta, uel atrodamãta, duritia ac põdere inſignis.

signis. unde et nomen inuenit, coloris nigri, præcipuè in Africa inuenitur, trahens ad se ferrum, reddens succum sanguineũ. Huic respõdet plurimũ noster hæmatites, qui reperitur in Geuro durißimus ad cotem, qui est trichrus. 3. Arabicus, durus, uix reddens succum ad cotem aquariã, aliquãdo croco similem. huic noster respõdet qui reperitur Goselariæ, et ad Hercyniã siluam. 4. Elatites, cũ crudus est. coctus aũt dicitur miles. utilis ambustis, ad omnia utilior rubrica. 5. Schistos, cuius altera species nascitur in Africa, s. nigrum schiston. quod at tritum aquarijs cotib. reddit ab ea partem qua fuerit radix, nigrum colorem, ab altera croci. Cæterũ quæ sint uires & auxilia his specieb. consule Plin. et Dioscor. L. C. ubi & inuenies modum adurẽdi & adulterãdi hæmatitis. deinde ubi plurimũ reperiatur, nempe in rubrica sinopica: & quòd fiat plurimum ex magnete cõbusto uehemẽter, seu igni artificiali, seu calore terræ. Hinc poßibile est ubi sit magnes, & ibi reperiri hæmatitẽ: & econtra. sic uti fieret in nostris fodinis ferrarijs, ubi magnes reperitur. Olim cum mihi licuerit esse in patria, inquiram & magnetẽ et hæmatitẽ in fodinis illis ferrarijs antiquißimis. Docet Dioscorid. etiam L. C. in Aegypto et hæmatitẽ sponte natura in metallicis enasci. id fieri in nostris fodinis in Sudetis montibus crebrò uidemus. Cæterùm de hæmatite uide Se

pionem lib. Aggr. cap. Sedeneg. Et hæmatiten ueteres Marti dicarunt.

DE SCHISTO.

Caput VII.

Hoc loco ſchiſtum gemma eſt & lapis, ſpecies hæmatitis, et multum cognata cum hematite, ut patet ex præcedenti capite: ubi ſchiſton Plinius ex Sotaco enumerat inter hæmatites. Differt autem ab hæmatite, quia ſchiſtos eſt pallidior, & crocei coloris, & friabilis, ſuapte natura fiſsilis, concremento, & alterno cohærẽtium uenarum diſcurſu, pectinum modo, ammoniaco ſali ſimilis. Cuius eſt altera ſpecies, quam Plinius in præcedenti capite perſtringit, ut docuimus. At hæmatites uenis rubentibus friabilis eſt, & ſanguineus. Viribus etiam quodammodo conueniunt, licet ſchiſtus infirmior ſit hæmatite. Nos quoad ego ſcio, uero ſchiſto caremus: ſpecies tamen habemus. Dioſcorides lib. 5. cap. 91. patriã eius eſse dicit Iberiam Hiſpaniæ: & Plinius, alterius ſpeciei Aphricam: Euax in Lapidario ſuo, ſchiſtum lapidem dicit eſſe coloris fuſci & ſubruffi, habentem oblongas pinnulas, non erectas, ut alumen ſciſſum: cuius uis ſit, fortiter aſtringere. Talis reperitur Salueldiæ lapis in fodinis ferrarijs: ſed modicè aſtringit. Cæterùm quomodo ſchiſtum lapis cum auro ad lichenas crematur, uide Plinium lib. 33. cap. 4.

DE

DE MAGNETE, Caput VIII.

MAgnes ab inuentore dicitur, teste Plinio lib. 36. cap. 16. Prætereà lapis Herculeus, Heracleus. hinc prouerbium ἡρακλεία λίθος. Dicitur autẽ Heraclius à ciuitate Heraclia Lydiæ: uel ut alij uolũt, Magnesiæ, ubi laudatißimus magnes gignitur. Vnde quidam habere & nomen uolunt. Hinc Lucretius inquit:

Quem magneta uocant patrio de nomine Graij,
Magnetum quia sit patrijs in montibus ortus.

Porrò magnes uocatur lapis sideritis, quia ferrum attrahat. nam Græcis σίδηρος ferrum significat. licet sideritis aliàs & scoria ferri est, & singularis gemma apud Plinium lib. 37. cap. 10. & 4. Germanis à latino uocatur magneth, & à Saxonibus ein segelstein, lapis nauticus: quia eius usus est per magnus in nauigationibus, ut sciunt nautæ: dum eius natura sit, semper uersus septentrionẽ sese uertere. Est autẽ lapis, teste Dioscoride lib. 5. cap. 93. colore uergente ad cæruleum (optimus semper est cæruleus) densus, non admodum grauis, attrahens ex naturali quadam dynami ferrũ, ut gemma sagda attrahit lignum: uel ut gagates, & succinum, stipulas & fila. Imò ferrum, quo nihil duritia pugnatius cedit magneti, & patitur à magnete: & quod maius est, ferrũ tactum à magnete. deinde alterum

ferrum

ferrum trahit: & ferrum quasi domitrix omnium rerum consistit, tenetur, & hæret amplexu magnetis. Econtra quod sæpe miror, magneti maximè est contrarium allium & cæpe, ut si illorum succo magnes illinatur, minimè attrahit ferrum: recipit autem uires, intinctus sanguine hircino. Reperitur gemma magnes & in ferri uenis: in fodinis etiam nostris, ut in Bohemiæ finibus ad Schwartzbergũ: & procul dubio Salueldiæ, in antiquis fodinis ferri. Goselariæ in fodina antiqua semiobruta, in propria etiam uena apparet magnes. Sic in Hispania (ut fertur) & alijs locis. Docuimus autem in præcedentibus, magneti magnam esse cognationẽ cum hæmatite. nam hæmatites Plinio magnes dicitur, qui est species hæmatitis Aethiopici. & magnes combustus siue calore terræ, siue igni artificiali, fit hæmatites, & uenditur pro illo. Plinius L. C. quinque genera secundum Sotacum magnetis facit, & eum à Magnete armentario inuentore nomen habere dicit, scilicet:

MAGNES magneth. 1. Aethiopicus. Huius summa laus est, & reperitur in Aethiopia, Zinuri, in regione arenosa, unà cum hæmatite magnete coloris sanguinei. de quo suprà. Hic magnes Aethiopicus non tantum ferrum attrahit, sed & magnetẽ alterius cuiuscunq; generis. Hinc illud Silij:

Venere Aethiopes, gens haud incognita Nilo,

Qui

Qui magneta secant: solis honor ille metalli,
Incoctum chalybē uicino ducere saxo.

2. Magnesiacus è Macedonia, si est ruffus & niger.

3. In Echio Bœotiæ, qui plus ruffus est q̃ niger.

4. Circa Alexandriam, & circa Troadem, niger, & sexus fœminini, & nullius usus.

5. In Magnesia Asiæ candidus, nullius momenti, nec ferrum attrahens.

Differentia horū est, an mas sit, an fœmina: deinde etiam in colore differūt. Sed de ferri & magnetis concordia eundem consule Plinium lib. 34. cap. 14. Vbi & magnetem in Cantabria nasci scribit, sparsa bullatione, qui inficiat & ferri aciem, ut reliqui magnetes. Porrò idē Plinius in eadē Aethiopia ubi & sit magnes, docet inueniri lapidē nomine Themamedē, qui ferrū omne abigat, respuatq́;, contrariæ naturæ cum magnete. Item lib. 36. cap. 26. idem testatur alteram naturam magnetis esse, attrahere in se liquorē uitri. Veluti autem magnes naturali potentia & dynami attrahit ferrum, & liquorem uitri, & concordat cum illis: ita discordat ab allijs & cæpis, & dissidet cum adamante: in tantum etiam, ut iuxtà positus, ferrum non attrahat, & minimè apprehendat. Consule & Serapionem lib. Aggreg. cap. Hager Abnātes, siue Almagritos, qui mineram huius in maritimis esse docet prope

cet prope

cet prope Indiam, & reddit rationem quare ibi omnes naues cōpactæ sint non ferreis, sed ligneis clauis propter frequentem magnetem. Magi ferunt quòd quia concordiā adeò fortē habeat cum ferro magnes, eum et potentiā habere ad amorē cōciliandum, & conseruandā concordiā inter homines. Cæterùm quæ aliàs uis sit in medelis magneti, consule Dioscoridē, & Pliniū & alios locis citatis. Euax et speciē magnetis esse dicit, quæ attrahat carnem, præcipuè hominis. Sed hoc forsitā mutuatus est ex Aristotele. Albertus & nigrū magnetē reperiri inquit in Francia nostra Oriētali, in specie ac si esset ferrū æruginosum, cōbustum cum pice. quærerent hūc Franci. procul dubio is quoq; in patria mea erit quæ adiacet Franciæ, si quis inuestigaret. Porrò idem Albertus dicit suo tempore esse magnetem inuentum, qui ab uno angulo ferrum traheret, ab altero fugaret, (cuius Aristoteles ni fallor meminit.) Si hoc uerum est, facilè constat quod Plinius scribit de lapide Themamede. Tertio Albertus addit et Imperatori Friderico magnetem fuisse, qui non ferrum traxit, sed qui à ferro ipso trahebatur. Hæc sunt mirabilia Dei, & arcana naturæ.

DE LAPIDE SAGDA, Caput IX.

Sagda uel Sagdo coloris prasij, gemma est secundum Albertum & Euacem, & Solinum

capite

capite 40. & Plinium lib. 37. cap. 10. Est autē eius gemmæ sagdæ natura, quod ut gagates attrahit paleas & fila, & ut magnes ferrum: ita hæc lignum, imò ita fortiter adhæret ligno, et euelli non potest, nisi abscindatur. Reperitur ad naues tabulis fortiter adfixa. Inde colligi potest, patriam eius esse ipsum mare. Apud nautam speciem eius uidi, at debilis omnino uirtutis. nam uix sarmenta quàm minima attrahebat, coloris non uerè prasij, Er war bleychgrün, magnitudine fabæ. Solinus L.C. ait, apud Chaldæos sagdam gemmam reperiri uulgò. Plinius in Samo Thracia speciem eius gemmæ esse dicit, nigram ligno similem, sine pondere.

DE ADAMANTE.

Caput X.

ADamas, Arabicè hagar subedhig, à Germanis ein demuth, demanth, & à latino, adamanthstein. Plinius lib. 47. cap. 4. hunc extra aurum, & ipso in auro nasci dicit, contra opinionem ueterum, quibus uisum illum tantum in metallis Aethiopum cum auro nasci. sed ut rem melius intelligas, obserua schema quod partim ex Plinio, partim ex alijs de adamante collegimus.

Adamas demanth, demuth. nascitur & extra aurum, & in auro nobilissimo.

Extra aurum, & sic est duplex:

1. Indicus non nascens in auro, cognatus colore crystal-

crystallo translucido, & laterum sexangulo, teno re turbinatus in mucronem, aut duabus contrarijs partibus iunctis, magnitudine nuclei auellanæ. Huius profectò rudimenta inueni ad Albim, non procul ab ostio Tangræ. hunc Serapio dicit colore approximare ad sal ammoniacum.

2. Arabicus etiam extra aurum nascens, præcedenti minor.

In auro nobilißimo.

1. Milij grani magnitudine, quem uocant cenchron.

2. Macedonicus in Philippico auro par seminis cucumi.

3. Cyprius in Cypro inuentus, uergens ad colorem æreum, efficacißimus in medelis.

4. Sideritis ferrei splendoris, pondere reliquos antecellens: sed natura his dißimilis. hic frangitur ictibus, & ab alio adamante perforari potest. Hi duo postremi sunt degeneres, & nominis tantum habent auctoritatem.

Optimi uerò adamātes incudibus deprehēduntur. nam respuunt ictum, ut ferrum utrinq; dissultet, incudesq; ipsi dißiliant: quippe quia adamas duritia est inenarrabilis, contēptor et uictor ignis, nunquam igne calescens, unde ab illa indomita etiam ui nomē habet, à græco δαμάζω, id est domo. Sic illa herba apud Plinium lib. 24. cap. 17. quæ teri nequeat,

nequeat, adamantis dicitur. Rumpitur tamen hic lapis carne, uel potius sanguine calido recenti hircino: præcipuè cum hircus prius uinum bibit, uel comedit petroselinũ, & montanũ siseleos. Propterea adamantes expetũtur (ut adhuc fieri uidemus) à sculptoribus, ad reliquas materias & gẽmas exsculpendas & formãdas, & tum solo ferro debent includi: reliquas enim res metallicas nõ patiuntur, imò à plumbo, quod sæpe miror, ipsi soluuntur. Supra etiã docuimus lapidẽ adamantem dissidere in tantũ cum magnete, ut iuxtà positus, ferrũ non patiatur abstrahi. aut si admotus magnes ferrũ adprehenderit, ferrũ rapiat atq; auferat. In summa, adamas ligat magnetem, & uiribus priuat. ô Deus admirabilis in operibus suis. Cæterùm adamas uenena irrita facit, abigit lymphationes, lemures, incubos, succubos: reddit animatos, fortes: propterea anachitis dicitur. Valet contra iurgia, rixas, abstergit fortiter & emundat, curat fluxas gingiuas. Vide Serap. lib. Aggreg. cap. hagar subedhig, & Euacem in suo Lapidario. quidam uolunt frigidum & siccũ 4. gradu. quidam ecõtra calidum & siccum, quia admiscetur etiam medicinis cõburentibus. Reperiuntur & proculdubio in nostris fodinis adamãtes, si quis inuestigaret (quod mihi nondum licuit) & reperiri in Germania, teste Plinio, in Baltica insula, Metrodorus docuit. De adaman

te uide & Solinum cap. 55. Veteres Astrologi adamantem dicarunt lunæ.


DE GAGATE.


Caput XI.

GAgates lapis, & non gagites, dicendũ est. nam gagitis est aëtites, secundum Plinium libro 10. cap. 3. Gagates uerò lapis, de quo hic agimus, à Germanis dicitur ein gagathstein, gagetstein, agetstein, bornstein, bernstein. Fit in mari et flumine gagas, procul dubio, ex petroleo, id est, naphtha subtili, uel liquido bitumine naturali: sicuti altera gagatis species lapis Thracius schwartz bornstein, oder aagetstein, fit ex nigra naphta aut bitumine. cum stillat uel fluit in mare, uel flumina prope maria, bitumẽ uel naphtha liquida, petrolium illud, ut in capite naphthæ mox dicemus, fit dico gagatas. Germani autem gagates lapides omnino cum succino seu electro miscent, cum tamen materia unde fiant dissentiant, licet cognatio quædam sit & adfinitas in his, in attrahendis paleis. nam & succinum & gagas calefactus motu attrahit fila et stipulas, ut magnes ferrũ, ut sagda lignũ. Deinde etiam uterq; igne accensus, flagrat, sed succinum non ardet aquis, licet oleo quodammodo ardeat, propter resinæ unde fit debilitatem. Gagates uerò, quia ex bitumine fiant, eo magis in aqua ardent, & aqua accẽduntur propter uim bituminis,

sicuti

ſicuti oleo reſtinguuntur. ſuccinum enim ſeu electrum, non bitumē eſt, ſed tantū lachrima arborum populi, uel etiam pini, ueluti mox audies.





Sed de succino paulo pòst dicemus.

Dicitur

Dicitur autem lapis gagates à loco et amne nomine Gagas in Cilicia, ad cuius ostia seu fauces ad mare prope urbem Plagiopolim, hic lapis reperitur, ut docet Dioscor. lic. 5. cap. 92. uel ut alij uolunt, à Gange ciuitate Lyciæ, quæ & Gangis dicitur, ubi reperitur ille lapis prope littora ingens & uiridis. Nicander in Theriaca sua Engangin & gangitin uocat, à Gange Lyciæ ciuitate, ubi nidore docet gagatē fugare serpētes, propter odorē bituminis. Est enim, ut dixi, natura eius, quia fit ex bitumine, ardere, & aquis accēdi, & oleo restingui. & hūc inquit Nicander, neq; fortis & consumentis ignis impetus exedit. Hinc & Dioscorides docet præferendam in gagatarum genere, qui celeriter accen datur, & odorem reddat bituminis. Plinius libro 36. cap. 29. lapidem gagatem nomen habere idem testatur & loci & amnis Gagis Lyciæ, & in Leu cola expelli mari atq; colligi. Galenus (ni fallor) se nescire illum fluuium dicit, in Lycia, cui nomen Gagas. Verùm fieri potest, ut Gagis fluminis nomen mutetur nomine alterius fluminis, ut uidemus fieri, in quod sese exoneret. Verùm Strabo & alij cosmographi consentiunt Dioscoridi, talem fluuium esse in Lycia. Ergo non solum Galeno credendum hoc in loco. Quid si Gagas flumen paruum esset, nec adeò notum uulgo, ut uidemus etiam fieri apud nos? Orla, Schwartza, ipsa Tangera

nobilißima sunt flumina: at quia parua, quia breuis cursus, quis ea nouit admodum, nisi accolæ? Cæterùm quæ sint uires gagatis, consule Dioscoridem & Plinium locis citatis. Fugat nidore serpentes: suffitu morbum sonticum deprehendit, & strangulationes uuluæ recreat. quod expertus loquor. habet etiam uim molliendi & discutiendi: olim autem gagates erant gestamina matronarum. & matronæ his lapillis quoq; ipsis, ut corallijs, sibi gratiam conciliabant: sicuti adhuc pueris ornatus gratia, nonnullis locis appenduntur. Ornabantur his etiam galeæ, scuta, & gladij. Vidi ego templum in arce ad ostium Tangeræ fundatum, & miris modis ornatum, uarijs gemmis à Carolo quarto Imperatore, cuius fenestræ ex gagate miro inuento compositæ erant. Vidi & in eodem templo pugionem ipsius Caroli, cuius capulus ex gagate lapide integro, miro artificio erat compositus. Vtinam nunc quoq; reges & principes curarent religionem, ut ille bonus Carolus quartus. Nunc uerò magis in usu est ipsum succinum, utpote suauius olens. Postremò gagates aliquid commune habet cum aëtite, quòd uterq; parum igne deperdit. hinc & aëtites Gagitis dicitur. Sed non est gagates, ut in principio indicauimus. Quidam gagatis species esse has etiam faciunt, scilicet, quòd sit gagates colore similis pelli leonis. & hic est ille

noster

noster uulgaris aagetſtein. ſecundò, niger albis uenulis. tertiò niger uenis croceis, is communis in Creta. quartò, uarius in India quaſi ſanguine aſperſus. quinto, niger ſimilis corallo.

DE LAPIDE THRACIO, Caput XII.

Lapis Thracias, uel Thracius, uel Threicius à Nicandro dictus, naſcitur in flumine Scythiæ, cui Ponto nomen eſt. Vim habet gagatis, accenditur aqua, & oleo reſtinguitur, ſicuti accidit in bitumine. Eſtq; ille lapis nihil aliud quàm altera illa ſpecies gagatis, nigra, ſchwartz er aagetſtein, bernſtein, bornſtein: fitq; ex nigra naphtha, aut bitumine liquido nigro: ſicuti flauus gagates ex petroleo, id eſt, naphtha liquida candida, cum ſtillat uel fluit in mare. Induratur in lapidem uerò calore tum proprio, tum aquæ. cuius ſpecies propriè ſunt lithanthraces, die ſteinkolen, lapidei illi carbones, leues, uel etiam graues. Deinde etiam lapis ille fiſsilis, der ſchyffer. Quòd uerò lapis thracias fiat ex bitumine, teſtãtur odor, & ſubſtantia bituminoſa, colorq; niger, quòd & ſit lapis ſqualidus, cruſtoſus, leuis, ut etiam lapis hic deſcribitur à Dioſcoride. Quomodo uerò differat ab ipſo ſuccino, in præcedenti capite dictum eſt. In ſumma, lapis Thracias, & gagates, ſunt lapides unius generis, ex una eademq; materia, tãtum differente

colore. Niger crustacior est flauo, propter naphthã matrem impuriorem, & minus purgatam, quæ plus in se habet terreitatis, quàm illa dilutior naphtha candida. Nicander in theriaca, unde sua transtulit Dioscorides, pulcherrimè hunc describit lapidem, cum inquit: Vel Threicium lapidem igni comburas, qui aqua irrigatus lucet, & ardet. Quàm primum uerò uel parum olei adspersura senserit, restinguitur, quem à Threicio flumine, quod ponũt appellant, pastores adferunt, ubi ignobiles pecoris magistri Thracij carne uescentes, pecudes segnes comitantur. Hæc Nicander. Scholia uerò Nicandri citant Aristotelem, qui talem fluuium in Media & India esse dicat, in quo nascatur huiusmodi lapis, qui in aqua ardeat: oleo autem unctus, conspersusq́; restinguatur. Euax in Lapidario suo de lapide Thracio nihil ualet. Plinius libro tricesimotertio, capite quinto, naturam perstringit lapidis Thracij. Item libro tricesimosexto, capite decimonono describit quis sit lapis Thracias. Quæ historia per omnia conuenit nostro nigro gagati. scilicet est niger, planus, pumicosus, non multum differens à ligno, leuis, fragilis, odoris grauis: si aduritur, reddit odorem sulphureum, accenditur aqua, restinguitur oleo. Thracias ille lapis reperitur & in Libya & Britannia, & in littoribus maris Germanici. iam et ipsum succinum,
olim

olim qui iter faciebant ad ſanctum Iacobum, adferebant ſecum in pallio & pileo imagines diui Iacobi factas arte, ex lapide iſto, ut aliquoties puer uidi. Et ex illo pulchræ imagines, quia cedit torno, formari poſſunt. olim magi & utebantur Thracio lapide in Axinomantia. Cæterùm uide & Solinum cap.25.

DE LITHANTHRACITE, Caput XIII.

Lithanthrax, lapideus carbo, eyn ſteinkol, (ſicuti effodiuntur apud nos iſti lapidei carbones, ut prope Cygneam) ſpecies eſt gagatis: eſt enim nihil aliud, quàm induratum & excoctum ſub terra bitumen calore. Sunt autem duplices tales carbones, leues ſcilicet & rari, ut aquæ nonnunquam innatent, propter terræ excoctionem. Hos Theophraſtus γεώδεις dicit. Deinde ſunt & graues, quales effodiuntur in agro Leodienſi, quæ dicerentur λιθώδεις. Græci huiuſmodi carbones, ut in libro ſecundo docuimus, ſub nomine ἄνθρακες comprehendunt. Plinius de his nihil habet. & fuerunt illi procul dubio incogniti. Theophraſtus eos autem procul dubio deſcribit, cum inquit: Quos autem mox carbones uocant, in eorum numero, qui propter uſum effodiuntur, habendi terreni ſunt. exuruntur autem, & igni accenduntur, quem

admodum carbones. Huiusmodi lapides bituminosos & in causa esse puto, quare ita multis locis montes flagrant, ut mox dicemus. Huius carbonis & esse credo speciem, lapidem illum fißilem, den schyffer, quia etiam uidetur ex bitumine constare. Flagrat enim, licet sit ipsis lithanthracitibus aridior. Verùm quia aliquoties facta est mentio in præcedentibus naphthæ & bituminis, & succini, pauca nunc de his subijciemus. Concedat mihi hoc lector candidus, ut hæc quæ docuimus, fiant clariora.

DE BITVMINE, Caput XIIII.

Bitumen à Græcis asphalton dicitur, forsitan, à lacu Asphaltite in Iudæa, qui nũc uocatur mare mortuum, ubi scilicet olim Sodoma & Gomorra fuere. Nam ex illo lacu lentor ille asphalton eruitur, in usum mortalium, cum cætera sit omnino sterilis. Præterea bitumen in Assyria & Chaldæa copiosè adeò nascitur, ut pro cæmento sit in muris condendis. Semiramis enim dicitur bitumine fabricasse muros Babyloniæ. Dicitur uerò bitumen nasci in Babylonia, propter frequentia illic fulmina. Estq; bitumen nihil aliud, quàm limus aquæ extractus lentißimus, pici similis, & quasi pix terræ. Propterea etiam Dioscorides libro primo post picem bituminis mentionem facit, & enume-

& enumerat eius genera esse à patria Phœniceũ, Babylonicum, Zacynthicum, Sicilicum. docet & bonum esse, cum sit purpureum, seu purpuræ modo splendeat: econtra malum & uitiosum, cum sit nigrum. Cæterùm quoad ipsam substantiam, bitumen duplex est, scilicet glutinosum, durum, in terra, & liquidum: in aqua & fontibus etiam, ut Curtius testatur natans, quo usi sunt uice olei, iniustè oleum Sicilicum nominãtes. Plinius bitumen alibi limum, alibi terram testatur esse: limum scilicet emergentem à Iudææ lacu. In Babylonia & liquidum & candidum gigni docet, quod est pissasphalton: & est liquidius, & magis accedit ad naturam picis. De bitumine è terra pulchrè Ouidius dicit 9. Metamor.

Vt'ue tenax grauida manat tellure bitumen.

Optimum tamen fertur Iudaicum. Estq; proculdubio species naphthæ: sed non naphtha ipsa, ut quidam uolunt. Vide Serapionem capite Brasalendi. Naphtha enim est petroleum, & liquidum oleum. Sed bitumen uel asphalton est res dura, tenax, quæ puluerisari nonnunquam potest, non resoluitur tamen, habens fœtorẽ naphthæ. Miror autem aliquoties in undis reperiri, tam aduerso incendijs elemento materiam, tam amante ignis, ut accensa affusis aquis magis ardeat.

Nicander

Nicander, in theriaca bitumen prædicat ualere ad uenenata abigenda. Bitumen certè epilepticos exturbat, uino potum. quartanam expellit sua uehementia & spiritus acrimonia. Non mirum ergo si uenenata abigat. Fuit & olim eius usus in statuis tingendis, & ferro indurando. Consule Arabes, item Dioscoridem, Plinium, Solinum, Strabonem, & alios. Addemus & pauca de pissasphalto. Pissasphaltum liquidius est ipso bitumine, & nomen habet à pice et bitumine, forsitan quia redolet picem bitumini mixtam. Estq; duplex pissasphaltum: scilicet naturale, quod crescit: & factitium, quod fit ex pice & bitumine arte. Dioscorides libro primo, capite octuagesimotertio naturale describit. Plinius libro uicesimoquarto, capite septimo factitium etiam celebrat wan man bitumen vnd bech zůsamen schmeltzet. Quod contra scabiem ouium proculdubio intelligi uult 3. Georgicorum, cum inquit:

–Idæasq; pices, nigrumq; bitumen, &c. Nisi nigrum bitumen sordidum & uitiosum, aut Siculicum liquidum uelis intelligere. Cæterùm naturale pissasphalton ex agro Apollonitarum circa Epidaurum effoditur. Sed reliqua in sequentibus agemus.

DE

DE NAPHTHA,
Caput XV.

IVdaicum bitumen diximus esse speciem naphthæ, & non naphtham ipsam. quoniam naphtha nihil aliud est quàm petroleum, oleum illud liquidum, quod ad nos licet corruptum ferunt agyrtæ. Dioscorides libro 1. capite 84. naphtham à Babylonijs uocari dicit bituminis colamẽ, & esse, seu inueniri candidam et nigram. naphtha candida est petroleũ nostrum. Nigra, quæ est forsitan illa Amiani picea & glutinosa, bitumini persimilis, quæ flagrans nulla alia re extingui queat quàm puluere iniecto. sicuti ille limus apud Plinium ex stagno Comagenes terra extinguitur. Hanc nigram naphtham, stercus dæmonum quidam fuisse ueteribus uoluerunt. Nos iam pro stercore dæmonum habemus ipsum laserpitium. Verùm nihil ausim affirmare. Multa fœtida preciosa fuerunt ueteribus.

Ceterùm naphthæ est uis ignium rapax, ut docet Dioscorides L. C. & Plinius libro 2. capite 108. Neq; est aliud quod citius rapiat, pertinaciusq; foueat ignem quàm naphtha. Plinius L. C. exemplum recitat, à Media pellicem crematam, ad aras quæ cum accederet sacrificatura, gestans coronam ex naphtha, ignis in ipsam coronam inuolauit, & pellicem consumpsit. Est autem naphtha, teste Plinio, profluens materia circa Babyloniam, & in

Austagenis Parthiæ modo bituminis liquidæ. sic naphtha est duplex: naturalis, de qua loquitur Plin. quæ est propriè petroleũ: deinde factitia, quæ est colamen bituminis, ut uult Dioscorides. Et huius altera species candida, potest esse species petrolei, at non tam bona ut naturalis. At altera species nigra, potest esse ueteribus stercus dæmonum. Hinc dico ex bitumine subtiliori, id est ex naphtha (quæ est petroleum uerum) indurata, sole operante aut indurante, ut Ouidius de succino dicit, in mari fit gagates, & non ex factitia illa candida naphtha. hæc non obseruatæ, fecerunt labi Serapionem. Ita duplex est bitumen, in aquis & terra, liquidum & glutinosum durum. Duplex est pissasphalton, naturale & factitium: duplex & est naphtha, naturalis & factitia, quæ est colamen bituminis candidum uel nigrum. Sic res fermè una est uariarũ specierum bitumen, pissasphalton & naphtha. Sic gagates lapis cum fit ex naphtha naturali, id est ex petroleo uero. quod eius odor facilè indicat. Lapis Thracias, altera species gagatis, forsitan fit ex nigro bitumine, uel naphtha nigra. ardet enim & ille aquis, & oleo restinguitur. Econtra succinum ex resina fit arborum. licet adfinitatem habent in attrahendis filis & paleis. Succinum non ardet aquis, propter resinæ debilitatem. sed gagates ardent & magis aqua accenduntur, propter uim bituminis

seu

seu naphthæ, ex qua constant. Sic etiam carbones isti crustosi lapidei, die steinkole, qui apud nos effodiuntur, species gagatis sunt leues & graues. & sunt nihil aliud quàm bitumen sub terra induratum uel excoctum calore. Profectò ille ipse lapis oleo restinguitur: & aqua aspersus, eo magis ardet, quæ est natura bituminis. & hi carbones ex bitumine causa sunt, quare montes, ut Aetna & Vesuuius, apud Plinium flagrent, sicuti uidemus etiam multis locis fieri in Germania, idq́; magis noctu quàm die: quia de die calor solis deprimit istud incendium, uel obfuscat: econtra in nocte, quæ est humida & frigida materia, iterum excitatur humore. Illa etiam species pyritis, lapis ille fißilis Islebiæ, der schyffer, uidetur ex bitumine constare: tum quia facilè flagrat, & bitumen odore quodãmodo refert: tum quia lapis est aptißimus impreßionibus, ut in præcedentibus diximus. Nam sicuti chimistæ dicunt, anima suum corpus facilè & citò ingreditur: sic imperante & agente natura non ociosa, in illo lapide bituminoso sub terra, tanquam in materia apta & parenti causis, facilè fiunt impreßiones. Sed de his satis. Petroleum, id est naphtha quam ad nos ferunt agyrtæ, non (ut mentiuntur) de sepulcro nescio cuius sancti effluit. figmentum est. Cæterum est & alia naphtha factitia, id est uenenum factitium apud Nicandrum. quem ipse consulere pote-

ris in

ris in Alexipharmaca. Bituminis ſpeciei quæ effoditur in Saxonia, & dicitur thorff, ſuprà mentionem fecimus.

DE SVCCINO, Caput XVI.

GAgates lapis fit ex naphtha, id eſt petroleo, ſic ſpecies altera gagatis, quæ eſt lapis Thracias, der ſchwartz bornſteyn, aagetſteyn, fit ex bitumine uel naphtha nigra. Cuius ſpecies ſunt lithanthraces, & lapis ſciſsilis der ſchyffer, ut aliquoties diximus. Succinum autem fit ex reſina populi, ut uult Dioſcorides, deſtillata in Eridanum, & indurata calore uel proprio, uel aquæ. Hinc & Ouidius dicit in fabula Heliadum 2. Metamorph.

Inde fluunt lachrymæ, ſtillataq; ſole rigeſcunt
De ramis electra nouis, quæ lucidus amnis
Excipit, & nuribus mittit geſtanda Latinis.

Vocant enim ſuccinum, electrum, gleſſum, & chryſophoron & chryſolectrum aliàs homines docti. Nos Germani & uerum ſuccinũ habemus, ſicuti de nobis ſcribit Tacitus. Efflui, die Iſlender, adhuc legunt ſuccinum inter uada & in litore. Legunt & Britani, ut fertur. Legitur etiam in parte Boruſsiæ, et litore, am ſtrande, id eſt in litore. hinc dicitur magiſter litoris, der ſtrandmeyſter, qui electrolegulis mercedem rependit, et quidem ſale. Eſt uerò ſuccinum nihil aliud, quàm ſuccus arborum,

qui in

qui in mare proximum lapsus durescit & coit, & potest in modum tædæ succendi, alitq; sua pinguedine flammam, eamq; optimè olentem. Estq; duplex succinum seu electrum. Primum est flauum, & perlucidum quasi uitreum. hoc ueteres glessum dixere à perspicuitate uitri, quam habet. Germani perspicua illa uitra enim uocant gleser. Hinc Glessinga & Glessaria, & Glessarij populi nomen habent, teste etiam Plinio, lib. 37. cap. 3. & lib. 4. cap. 16. Secundum electrum est obscurum, & album, penè osseum & preciosissimũ. incolæ uocant bastbard. Sunt uerò in isto littore Borussiæ & finitimarum regionum, non populorum aut alnorum, sed abietum, & pinastrorũ uidelicet resinatarum magna copia, unde potest esse. Ex resinis quoq; istarum arborum succinum fieri, & pineus odor et cum teritur, & cum accenditur, est indicio. Vide Plinium libro citato, & Solinum cap. 23. Sic non tantum ex alno uel populo fit succinum apud Eridanum, ut & Lucianus in Eridano non uernacula, sed aliunde esse perlata succina dicit. Ergo & totum fabulosum est quod scribunt poetæ. Tu uide & Irenæi exegesim de Germania, & Tacitum. Postremò succinum esse lachrymã uel resinam arborum, præsertim pini & pinastri, non tantum odor, color, materiaq; ipsa cum atteritur & accenditur, ostendit: sed etiam hoc argumento est, liqui-

dam primũ destillasse resinam ex arboribus, quod uidemus succino inesse et translucere, muscas, araneos, puluerem, formicas, aliaq; animalcula, ut culices: quæ animalia inciderũt forte fortuna, cum destillaret gutta in aquam, uel dum penderet adhuc in arbore iam cadens, & ita unà cum massa coierunt & induruerunt, teste Tacito. & Plinio L. C. Quidam tamen succinum, nescio moti quibus rationibus, prolificum semen cuiusdam piscis, uel ceti esse uolunt, durum, glebæ terræ simile in mari inueniri, ac supernatare ad littora. Aliqui ex Caspio mari aduehi uolunt. Benedictus Veronensis libro 13. cap. 26. de morbis, succinum etiam describit albo & nigro mixtum colore, leue, odore primo olfactu ingratum. hoc mihi ignotum, nisi sit species basthardi impuri. In summa magna fuit hactenus disceptatio inter doctos, & adhuc est, quid sit succinum. ego resinam arborum esse dico, & præsertim pini & pinastri. Plinius & electri alias species enumerat, non tantum candidum, quod est nostrum basthardum odoris præstantißimi: deinde fuluum, quod est glessum: sed quod molli fulgore perspicuum sit, falernum nomine, quia uini falerni colorem habeat: postremò et in quo leuitas mellis placeat. At hæ species & inter nostra succina reperiuntur, si quis acutè considerat. Verùm quòd electrum & foßile dicit in Liguria, illud ego simpliciter

citer credo esse gagatem ex bitumine terræ, et non succinum: aut est alia gemma, sicuti sunt talium multæ gemmæ colorum, ut topazion, et lapis lyncurinus. Olim succino & gagate matronæ gratiam sibi conciliabant, nunc pueris propterea etiam succina appenduntur. Item quia ualet lapis ille contra lymphationem, & est amuletum, teste Plinio. Estq; nihil præsentius in strangulatione uuluæ, electro incenso, & subiecto naribus. prodest & stomachi uitijs, acuit sensus, prodest comitialibus. Et plurimum ualet argumentum: Omnia bene olentia exhilarant spiritus. Electrum est bene olens, (est enim dulcissimi ac optimi odoris) ergo exhilarat spiritus, & per consequens prodest comitialibus. Cæterùm consule Auicennam, Serapionem, Paulum, Galenum, & alios de Karabe, id est electro seu succino. Cæterùm succinum attritu accepta ui caloris attrahit in se paleas, fila, & folia arida, ut gagates facit: ueluti magnes ferrum trahit, & sagda gemma lignum. De succino uide & Hesiodum & Euripidem. Apollonius in libro Argonautico 4. succum non ex Heliadum lachrymis, sed Apollinis natum dicit, qãndo affectus dolore propter Aesculapij necem, aut quãdo Admeti regis pecora pauit. Consule & Solinum & Strabonem, de electro, & uarias auctorũ sententias apud Plinium lib. 37. cap. 2. & 3.

SCHEMA.



Succinum

SVCCINVM, ELECTRVM.

Hoc impropriè Germani miſcēt cū gagate, & uocātbornſteyn, brenſteyn, aageſteyn. Eſt enim

- *Gummi ſeu reſina, uel lachryma*
  - *indurata*
    - *1. Populi, ſecundū Dioſcoridē, Ouidi. et alios: uel alni, licet populū & alnum pro una habent arbore.*
    - *2. pini.*
    - *3. pinaſtri.* } *uere*
      - *im*
        - *Eridano, ſeuPado.*
        - *mari.*
          - *Coloris*
            - *flaui, mellei, perſpicui.*
            - *candidi, oſſei*
              - *& dicitur à Germanis qui legunt ſuccinum*
                - *Glaſtum*
                - *Baſthard*

DE LAPIDE ARABICO, Caput XVII.

LApis Arabicus similis est ebori maculoso, teste Dioscoride L. C. & Plinio libro 36. capite 21. cuius usus in dentifricijs & in exiccandis hæmorrhoidibus est. Verùm qualis is sit lapis, multi docti uiri disputarunt, & adhuc disputant: sed si acutè uis considerare, lapis Arabicus non est alius quàm lapis specularis, seu lapis lunæ, seu glacies Mariæ, à Germanis sperglaß, oder, vnser frawen eiß: unde olim fenestræ parabantur, lignis læuigatis positis loco plumbi. Vnde & fit gypsum optimum, teste Plinio, ueluti de gypso docuimus. Estq; quasi gypsi extremitas, ut uult Albertus, qui & hunc specularem lapidem Aphroselinum uocat, quia noctu imaginem lunæ repræsentet, uel quasi spuma lunæ ex rore factus. Quidam tamen disputant & seliniten esse specularem lapidem, quem & Dioscorides Aphroselinum uocat. Sed de his paulo pòst dicemus. Hic lapis uerò specularis uocatur, lapis Arabicus, quia primum in Arabia repertus. licet Albertus hunc in Hispanijs in urbe Segundia primum inuentum uult, & abundantius: deinde in multis Germaniæ locis. Si considera, sunt & huius lapidis species uariæ. Primum is lapis reperitur breuis & maculosus, in Bononiensi agro Italiæ, teste etiam Plinio: qui similis forsitan

ebori

ebori maculoſo, ut uult Dioſcorides eſſe lapidem Arabicum. Secundò reperitur apud nos ſubniger, qui ſatis lucidus non eſt. Tertiò reperitur apud nos candidiſſimus qui maximè trāslucet, unde olim fiebāt feneſtræ. & is eſt ſelenites de quo infrà. Quartò reperitur apud nos in Saxonia ebori ſimilis, qui eſt Arabicus Plinij. Quintò reperitur nigris aut rubris maculis, qui etiam Dioſcoridis eſſe poſſit lapis Arabicus. Albertus lapidis ſpecularis tantum tres facit ſpecies: unam uidelicet lucidam ut uitrum, unde feneſtræ fiunt: alteram nigram, ſicuti atramentum: tertiam citrinam, quæ dicatur auripigmentum uel arſenicum. uerum eſt quòd Arabes, ut ſuprà docuimus libro ſecundo, arſenicum uel auripigmētum natiuum dixerunt eſſe ſimile ſpeculari lapidi, reſpicientes ad cruſtas. Sed lapis ſpecularis quamuis ſit citrinus, non eſt ſimpliciter auripigmentum, ut hic uult Albertus errans. Lapis ſpecularis ipſam pinguitudinem non habet auripigmenti. Et quid ſtultius ferme, quàm auripigmentum confundere cum lapide ſpeculari, in quibus nulla eſt ſimilitudo, præter in cruſtis? Eſt uerò hic ſpecularis, inſignis lapis, & humor quaſi concretus terræ, qui non reſoluitur: & dum eſt humor terræ cryſtalli modo glaciatus, & in lapidem induratus, noſtri eum propterea lapidē uocant glaciem Mariæ. Quidam dicunt quòd ſit ros

cœlestis, ad lunæ claritatem positus in speciem lapidis coagulatus ac constrictus, præcipuè ille qui est candidißimus, & Aphroselinon dicitur. Hic specularis reperitur apud nos in fodinis ipsis, etiam alijs locis quàm plurimis. Albis etiam secum uehit hunc lapidem nonnunquam, unà cum gypso. Cæterùm si uis aliquid perfectè scire de illo lapide, uide Plinium libro tricesimosexto, capite uicesimosecundo. quem locum propter breuitatem nunc omitto. Postremò notandum & hoc. Quanquam specularis lapis cognationem habet cum gypso, ita ut gypsum sit eius caput: tamen eius usus præclarus est in medelis, cum gypsi usus sit dubius & uenenatus, utpote qui strangulet. Nostri enim speculari lapide utuntur auellanæ quantitate in dysenteria magno experimento. Vtuntur & ad siccandas hæmorrhoides, & ad dentifricia, ut scribit Dioscorides de lapide Arabico, & Plinius libro tricesimosexto, capite sexto. De Arabico lapide, quem nos specularē dicimus, uide Auicennā de lapide lunæ.

DE CRYSTALLO, Caput XVIII.

CRystallus lapis est concretus gelu uehementiore ex niue glacieq;, nec reperitur alibi, quàm ubi maximè hibernæ niues rigent. & glaciem esse, certū est, quia impatiēs est caloris. Hinc & nomen habet. Mittit illum oriens, India, Asia, Cyprus,

Cyprus, iuga Alpium, teste Plinio libro 37. cap. 2. ubi & citat auctorum sententias de eius patria & magnitudine: nempe reperiri in terreno, in fodinis & inter cautes, & deportari torrentibus. Certè fluor iste candidus qui in nostris reperitur fodinis, de quo suprà egimus, est per omnia similis crystal lo. In cautibus Alpiũ inuijs, quo radius solis nunq̃ peruenire potest, adhuc miræ magnitudinis nascitur. nec mirum est. illic enim nix non resoluta permanet, & semper quotannis alia superadditur. Plinius nasci sexangulis laterib. dicit crystallũ per se. ego crystallos planas & triangulares uidi, forsitan arte ita paratas. nam ueluti electra, ita crystalli arte parantur, & absterguntur. Infestantur uerò crystalli uitijs quàm plurimis, scabro, rubigine, maculosa nube, occulta uomica, præduro fragiliq; centro, & sale, capillamẽtis rimarũ. Quæ uerò puræ, nec spumei coloris, limpidæq;, appellantur à Plinio Acenteta. Ex his optima uasa & pocula parantur nunc quoq;. adeò iuuat hoc. & gloria est luxuriæ, habere quod statim pereat. fragmenta sarciri nullo modo queunt. Cæterùm crystallus habet usum medicum in cremandis corporibus. Posita sub lingua, dicitur restinguere sitim. trita, ac melle mixta, mulierib. augrt lac. habet & alias uires & usus. Consule de crystallo & Solinũ in Polyhistore, cap. 20. Veteres Astrologi crystallum soli dicarunt.

DE GALACTITE,

Caput XIX.

LApis galactites dicitur, quia lacteum succum resudat, coloris cinerei, gustu dulcis, præcipuè in aqua. Apud nos in Saxonia nascitur terra, & incrementū habet, ut obseruaui. uerùm Germanicum eius nomen nondū expiscari potui. De hoc consule Dioscoridem L. C. & Plinium libr. 37. capite 10. qui galaxiam siue galactiten similem dicit epimeli, sed intercurrentibus sanguineis aut candidis uenis. Galactites autem inquit ex uno colore lactis est, & eundem uocāt leucogageam, & leucographiam, & synephiten, succo lactis ac sapore notabilem, in educatione nutricibus lactis fœcunditatē, infantium alligatus collo, saliuam facere dicitur. Ferunt & illum ore liquescere, & memoriā adimere. Mittit hunc lapidem amnis Achelous, & etiam Nilus. Sunt et qui smaragdum albis uenis circumligatum, galactiten uocent. De illo consule & Albertum, qui nescio quas magicas uires illi tribuit. Item Solinum in Polyhistore capite 13. qui atrum scrupulum dicit esse succi albi.

DE MELITITE,

Caput XX.

MElitites lapis iam planè est incognitus, præcipuè in officinis. Dioscorides similem dicit galactiti, et eiusdem esse effectus, præter quod

habe-

habeat dulciorem succum. Plinius libro 36. cap. 19. melititem tusum succum remittere dicit dulcem, mellitumq́;. & mederi mixtum cera eruptionibus pituitæ, maculis corporis, faucium exulcerationi, uuluarum doloribus.

DE LAPIDE MOROCHTHO, Caput XXI.

Morochthus est lapis, qui & galaxia et leucographis dicitur à Dioscoride. In Aegypto nascitur mollis, ita ut eo lineæ ducãtur, candidißimus facilè liquescens. utilis uestibus dealbandis, similis galactiti. Hinc uides Plinium L. C. de galactite, omnino miscere hunc morochthum, galaxiam, leucographin, cum galactite: cum tamẽ Dioscorides aliam facit galactiten, aliam leucographin seu galaxiam. & aliàs Plinius, quoad ego scio, nihil habet de morochtho: nisi lib. 37. cap. 10. legere mauis pro merocte, Morochthus porracea lacte sudat. Neq; hic iam habetur in officinis. nascitur tamen pulcherrimè hinc inde in Saxonia, præcipuè Hildesheymij. Cæterùm quæ eius uis sit medica, consule Dioscoridem libro 5. cap. 93.

DE LAPIDE ALABASTRITE, Caput XXII.

ALa bastrites, alabaster steyn, à patria Alabastria regione, ubi crescit in Aegypto & Syriæ Damasco. Estq; lapis ex speciebus marmoris no

ris notus Venetijs. Eius tres sunt species. Prima candicat, quæ à Germanis dicitur weiß alabasterstein, de quo olim fiebant imagines sanctorum, & monumenta sepultorum. Secunda eius species habet nigras maculas bundschwartz alabastersteyn. Tertia in ruffo interdum candicat, propterea onyx dicitur (rothlecht alabastersteyn) quia unguis humani colorem repræsentat. Et hanc propriè intelligit speciem Dioscorides, cum inquit: Alabastrites, qui & onyx dicitur, crematus, duritias cum pice aut resina discutit. Cæterùm de onyche, id est testa conchylij, & ungue odorato, in secundo libro Dioscoridis aliquando dicemus. Postremæ duæ species etiam apud nos in Germania reperiuntur. ut in Cheruscis non procul à Northusia, & in Saxonia circa Hildeshcimium. Plinius libro tricesimosexto, capite 7. & 8. alabastriten aptum ad uasa unguentaria dicit, & exustum emplastris conuenire. patriam eius esse circa Thebas Aegyptias, & Damascum Syriæ, & illum cæteris candidiorem. probatißimum tamen in Carmania, mox India, & iam in Syria, Asiaq; : uilißimum econtra in Cappadocia. Consule & eundem libro decimotertio, capite secundo.

DE ALECTORIO, Caput XXIII.

ALectoria est gemma, teste etiam Plinio libro tri-

bro tricesimoseptimo, capite decimo, crystallo similis, uel aquæ limpidæ. Et in summa, præ se fert crystallinam speciem magnitudine fabæ, in uentriculis gallinaceorum, seu ut Albertus uult, galli castrati, post quartum annum reperitur. Reddere dicitur fortes & bellicosos se portantes. Et Milonem Crotoniensem hunc propter ferunt in certaminib. inuictum fuisse. Conciliat gratiam puellis, restinguit sitim. Vide & Solinum capite quarto.

DE IRIDE GEMMA, Caput XXIIII.

IRis gemma crystallo similis, & secundum nonnullos radix crystalli frequenter hexagonus reperitur in Arabia, & secundum Plinium libro tricesimoseptimo, capite nono, in insula quadam rubri maris. sic etiam apud nos inuenitur in montib. & riuulis Vuestphaliæ inter Rhenum & Treuerensem ciuitatem, & hunc uolunt cadmiam esse natiuam ipsius Galeni, ut in primo libro docuimus capite uicesimoprimo de cadmia natiua. Volunt autem illum hexagonum fieri, cum in alijs lapidibus nonnũquam reperiatur rotundus, sicuti foramina apum in medio posita, hexagona efficiuntur, cum illa quæ sunt in extremis sunt rotunda. Estq; lapis siccißimus, idq; sua maxima subtilitate indicat: uoluntq; eum nasci ex aqueo succo, qui labitur de materia lapidis, qui generatur in luto rubeo. Dicitur

uerò

uerò iris, quia in medio eius repræsentat irin meteoron distinctis uenulis: uel quia sub tecto repercussus lapis is sole, species & colores arcus cœlestis in proximos parietes eiaculatur, teste Plinio L.C. Et addit idem Plinius aliquas esse scabris laterib. et angulis inæqualibus, quæ cum in sole aperto proijciantur, radios faciant in se recãdentes discurrere, aliquas etiam ante se proiecto nitore adiacentia illustrare. Postremò addit & aliam irim similem ceræ, præduram, quæ in Perside nascatur, & huic similem aspectu, sed non eiusdem effectus gemmam, quæ zeros nomen habeat, albam, nigrãq; in transuersum distinguentem crystallum. Si uis, huc referre poteris lapidem dæmonis Alberti, qui bicolor etiam ut iris qui confert febricitantibus, & pellit uenenata. De iride uide & Solinum in Polyhistore cap. 36.

DE CERAVNIA, Caput XXV.

INter gemmas candicantes referũtur hæ sequentes. Asteria primùm gemma à Plinio libro tricesimoseptimo, capite nono. Est autem asteria gemma, quæ inclusam lucem pupillæ modo continet, ac transfundit cum inclinatione, quæ nascitur in India & Carmania. Alia est astrios crystallo similis in India nascens, & in Pallenes litorib. intus à centro stella quasi lucet fulgore lunæ plenæ. opposita

astris

astris fulgorem rapit ac regerit. optima in Carmania nascitur. Huius species quæ deterior est, à nonnullis dicitur ceraunias. pessima est, quæ similis lumini lucernarum. Est & alia astroitis, similis piscium oculis. radiat candore ut sol. Est & inter candidas quæ ceraunia uocatur, rapiens fulgorem siderum: & ipsa est crystallina splendoris cærulei, in Carmania nascens. Zenothemis, teste Plinio loco citato albam esse dicit, sed intus stellam habere concursantem. Sotacus & alias species Ceraunię addit, scilicet nigras, rubentesq́;. te nõ aliubi inueniri q̃ in loco fulmine icto. Hæ ceauniæ lapides sunt quos Germani uocant donnersteyne. cadunt de nubibus cum tonitruo. Reperiuntur in Grania, item in Hispania candenti colore ut fermè ignis. Inueniuntur etiam hinc inde in Germania, præcipuè ad flumina, ut ad Albim. ubi ceraunias gemmas crystallo similes infecto colore cæruleo inueni, diuersæ formæ: nonnunquam sicuti clauas, nonnunquam tanquam pyramidem, ut repræsentarent caput zuccarinum, ut uocant eyn zuckerhût. integras tamen nunquam inuenire potui, forsitan propter uim fulminis qua excutiuntur nubibus, & resultationem in terram. Harum uim esse prædicant, prouocare dulces somnos, & ualere contra fulmina, item facere ad prælia & causas uincendas. Vide & Solinum capite uicesimotertio de ceraunijs.

DE THYITE,

Caput XXVI.

THyites lapis à mortarijs nomē habet. uerùm qui ſit, iam ignoratur. Dioſcorides eum gigni in Aethiopia uult ſubuiridis coloris, ueluti iaſpis: qui cum diluatur, lacteum reddat ſuccum, uehementer mordens. De illo parùm aliàs conſtat apud reliquos auctores. Sunt qui lapidem lyncis eſſe uolunt. Verùm quid lapis lyncis, mox dicemus.

DE LAPIDE LYNCVRIO,

Caput XXVII.

LYncurius, uel lapis lyncis, fit ex urina lupi ceruarij, ſcilicet lyncis, in ſyluis & montib. coagulata, in terra. è maribus fuluus & igneus fit, è fœminis candidus ac languidior. Egeritur autem terra, quia beſtia operit ſuam urinā, quaſi eam inuideat uſui hominum, aut pudoris innati cauſa. ſicuti uidemus alia animalia facere, lupos, canes, catosq;, ex qua coagulatur calore lyncurius, teſte Plinio libro 37. capite 2. & 3. & libro 8. cap. 38. Non eſt autem electrum, uel ſuccinum pterygophoron, pennas & floccos ad ſe trahens, ut quidam uoluere, quia lyncurius gemma coloris fului, ut gagates, & ignei reperitur: & non attrahit pennas aut floccos, quamuis attrita. Huius gemmæ Ouidius quoq; libro decimoquinto Metamor. egregiè meminit, cum inquit:

Victa

Victa racemifero lyncas dedit India Baccho.
E quibus ut memorant, quicquid uesica remisit,
Vertitur in lapides, & congelat aëre tacto.

Cæterùm consule & Solinum capite 8. Albertum & Euacem in Lapidarijs suis. Prodest contra calculos, ictericiam, fluxus uentris, dolorem stomachi. Volunt super illam nasci saluberrimos fungos. Sunt qui lapides lyncis hodie putant esse dactylos Idæos, uel ut uocant dactylos illos lapideos. Cæterùm notandum & hoc, quòd lynx animal, solum animalium in calce binos habet digitulos, unde colliguntur ungues, magni momenti in medicina, die luchs clawen. Appenduntur pueris contra comitialem, & alia. Postremò fuerunt & qui thyiten crediderunt esse, sed falsò, lyncurium. Verũ quod sit credibile urinam lyncis coire in lapidem, præcipuè calore terræ, tibi simile dicam, idq; experientia habeo. In exitu uesicæ siluestris porci, apri scilicet, nonnunquam etiam porci domestici castrati, reperitur lapis coagulatus ex urina, calore animalis, flauus & subpallidus nonnunquam, sicuti mihi aliquando uenator, & idem coquus principis demonstrauit, magnitudine nonnunquam fabæ, qui præsentissimum est remedium contra uesicæ calculum. idq; expertus loquor. Cur ergo non fieret, ut urinæ lyncis, imò aliorum animalium sæpe coirent calore terræ.

DE LAPIDE IVDAICO, Caput XXVIII.

THecolithos lapis Iudaicus dicitur, quia in Palæstina & terra Iudæorum reperitur. habetur iam in officinis. Estq; duplex, scilicet, maior & minor. Maior similis est glandi, & lineis quasi torno ductis, quemadmodum egregiè describitur à Dioscoride. & dicitur phœnicites, quia in Phœnicia reperitur: aut quia similis balano, ut uult Plinius lib. 36. cap. 10. Porrò dicitur & pyrena, quia similis nucleo oliuæ, ut idem Plinius testatur in eodem, cap. 11. habet et alia nomina, ut uocatur Thecolithos, quia oleæ nucleo similis, & quòd lingentium calculos frangat, pellatq;. Præterea uocatur Eureostriata concharum modo non adeò candida. Sed Plinius suprà L. C. deceptus horum nominum appellatione, putat esse plures species, cum non sunt. Vnum & eundem significant hæc nomina lapidem proculdubio Iudaicum. Hic reperitur & in Germania, ut ad Albim prope ostium Tangræ. At minor qui est in forma chilindro similis, fractus resplendet. Er sihet wie ein klein mülstein. Hic ignotus proculdubio Dioscoridi, reperitur etiam apud nos in Saxonia, circa Hildesheimium, & in Marchia antiqua ad ostium Tangræ, ad littora Albis, egregiæ pulchritudinis. Ambo difficultati urinæ calculosisq; mirè prosunt. Consule Dioscoridem

& Serapio-

& Serapionem libro Aggreg. capite hager aliendi. Et Solinum capite quadragesimo.

DE LAPIDE AMIANTHO, Caput XXIX.

AMianthus lapis, teste Dioscoride, nascitur in Cypro, similis alumini scisso, ex quo ut pote flexibili telæ & uela fiunt spectaculi gratia, quæ ignibus iniecta ardent: sed flammis inuncta, splendidiora exeũt. Germani talem lapidẽ uocant federweiß, oder erdflachs, & fabulãtur eum nasci ex pilis salamandræ, quia non consumatur igne ut salamãdra. Verũ amianthos proculdubio est alumen nostrũ plumosum, et hinc æterna candela fieri poßit. aliàs amianthus lapis nõ est magnæ uirtutis, cæterũ exiccat. Plin. lib. 36. cap. 19. amianthũ similem dicit alumini, nihilq; deperdentẽ igni, qui resistat omnib. ueneficijs magorũ priuatim. Profectò si acutè cõsideramus, nos quoq; amianthi speciẽ habemus, nempe metallicũ hoc quod reperitur in fodinis, & micam dicimus, à Germanis glimmer, oder kazen silber. habet colorem argenti. felium autem argentũ dicitur, à similitudine, quòd eorũ oculi noctu lucẽt tali modo, siue quòd cassum et inutile sit. nullũ enim fructũ fert, sed igne uulgi opinione consumitur. sed si acutè cõsideras, non cõsumitur, ueluti amianthũ uerum: sed tantũ purgatur, et aliũ assumit colorẽ, res aliàs nullius momenti. Poßum

tamen cedere meliora docenti. Huc referre poteris propter uirium cognationẽ, primum gemmã quæ asbestos dicitur, quæ reperitur in mõtibus Arcadiæ teste Plinio lib. 37. cap. 10. coloris ferrei: uel etiã in Arabia, ut uult Albertus: quæ cũ semel accenditur uix aut nunq̃ extinguitur, cum sit unctuosus & humidus. Itẽ huc referas absinthitẽ, gẽmam coloris uitri, rubeis uirgulis, quæ cum accẽditur etiã per multos dies nutrit ignẽ: remißior tamẽ est uiribus asbesto. Dicitur prouocare sanguinẽ gestatus, sicuti hæmatites sistit sanguinẽ. Plinius lib. 37. cap. 10. apiston illam gẽmam uocat. Tertiò Albertus & lapidis Iscultos mentionẽ facit, qui an idẽ sit cũ amiantho, an eius species, tuo relinquimus iudicio, cum inquit fermè in hãc sententiã: Iscultos gẽma croco similis, in ultimis Hispanorũ partibus et iuxta Gades reperitur, quæ filabilis est propter uiscositatem in eo arefactã. si de ea fiat uestis, non comburitur, sed igne purgatur, & nitet. Estq; fortè illud quod gehennam uocant Salamandræ: quia hæc lanugo, est sicuti lanugo lapidis humidi.

DE ACHATE, Caput XXX.

Achates primũ reperta in Sicilia iuxta flumen eiusdẽ nominis, deinde etiã alijs locis teste Plinio lib. 37. cap. 10. Species eius sunt, phasspachates, cerachates, sardachates, hæmachates, leucachates, dẽdrachates, u. uti arbuscula insignis

antacha-

antachates: quæ cũ uritur, myrrhã redolet. corolo achates guttis aureis distincta saphiri modo quæ reperitur in Creta. Prosunt cõtra arancorũ et scorpionum ictus. Hinc aquilæ cas imponunt nidis, ut defendãt pullos cõtra uenenata. sedãt sitim, cõfortant uisum. Reliqua inuenies apud ipsum Pliniũ L. C. qui & hoc refert, quòd in achate uariæ appareãt impreßiones, scilicet cõspiciãtur in his flumina, nemora, iumẽta, hederæ, esseda, staticula, ornamẽta equorũ. itẽ lib. 37. cap. 1. Pyrrhũ habuisse achatem gẽmam dicit, in qua Apollo & nouẽ Musæ cũ suis insignijs spectarẽtur. Ego gemmam aliquãdo uidi apud principẽ (uerũ achates nõ erat) in qua maculis discurrentibus apparuit rusticus & integrũ aratrum. Inueni & aliquãdo ad Albim silicem prope ostium Tangræ, in quo apparuerũt uestigia lupi, uel leonis, circa dimidiã rosam ita expreßè insculpta à natura, ut si gemmarius data opera fecisset. Credibilia ergo illa sunt Plinij, quæ de impreßionibus gemmæ istius scribit.

DE VNIONIBVS SEV MARGARitis, Caput XXXI.

Margaritas preciosas mittit oceanus Indicus, item mare rubrũ in sinu Persico circa Arabiã, & nunc mare Britannicũ. Estq; margarita seu unio nihil aliud, q̃ genitura seu partus conchæ margaritiferæ. Nam cõchæ illæ certo tempore

anni quando eas genitalis anni hora stimulat, sese pandũt, quadã oscitatione: sitiũtq; rorẽ ueluti maritum, eiusq; desiderio hiãt, ac roscido cõceptu sese impleri cupiũt. mox cũ lunares liquũtur aspergines, hauriũt rorẽ, humorẽ cõcupitũ matrice quasi hiãte, & fiunt grauidæ: deinde pariũt margaritas: pro qualitate roris cõcepti. Si purũ rorẽ conceperint, cãdore mirabili unio apparet: si uerò turbidũ rorẽ cõceperint, sordescũt et fœtus. pallẽt etiã margaritæ, cœlo minãte tẽpestates, si fuerint cõceptæ: si tẽpestiuæ, hiãtes cõchæ satiãtur, margaritæ grandescũt: si tempore coitus, fulgurat, cõprimũtur conchæ, ac pro ieiunij modo pariũt uniones. Si tonuerit, pauidæ repẽtè cõprimuntur cõchæ, & deinde abortus pariũt, quos physemata uocãt. ferũt etiã, si post illarũ cõceptũ crebra audiãtur tonitrua, illas expuere in flumina uniones, ac sic crebrò reperiri in fluminibus, ut uolunt in Mosella inter harenas. porrò tẽpore coitus si unà cum rore incidit in hiantem conchã radius solis, uniones rubedine tingũtur sicuti fieri uidemus. Propterea Oriente sole conchæ sese mergũt. sentiũt enim sese aliàs ruffos quasi deinde procreare. Postremò fit clarius margariton si cõchæ excipiũt matutini aëris semẽ, id est rorẽ, quàm uespertini. Adeò magna est adfinitas cœli & cõchæ in coitu cũ rore qui est semẽ quasi aeris. Nec iniuria, margaritæ Veneri dicantur propter mirabi-

mirabilē coitū. Dicitur autē unio, quia nulli duo reperiūtur. Dos omnis est in cādore, magnitudine, pōdere, orbe, læuore. Et in aquis omnis unio mollis est, ut coralliū: exēptus, aere protinus durescit, & fit lapis. Verū de unionibus, et de natura istarum concharū, cōsule Plin. lib. 9. cap. 35. Itē lib. 6. cap. 28. Solin. cap. 56. Serap. lib. Aggr. cag. Hager Albalo. uolūtq; frig. & sic. 2. grad. prosunt cōtra syncopē & cardiacā. spiritus cōfortāt, ualēt cōtra fluxus sanguinis, itē lienteriā, diarrhœā. cōferūt uisui retinēt mēses, abstergūt dētes, clarificāt sanguinē, prosunt melancholicis, cōfortāt cor. Didicit et iam ars parare margaritas, ac fallere penes illam.

DE GEMMA PERCAE Cap. XXXII.

PErca piscis est qui teutonicè dicitur ein parß oder persick, duræ carnis. Estq; duplex, scilicet, maior et minor. Maior propter colorē dicitur ein parß simpliciter, oder punter parß. Saxones uocāt ein puntelparß. Minor à Germanis propter rotunditatē corporis dicitur ein kaulparß. In huius capite binæ reperiūtur gēmæ, cādidißimæ, oßeæ, magnitudine seminis lini, proportione tamē piscis. Hac gēma nihil præsentius in frāgendo calculo uesicæ, propterea etiā meritò & cautè ab his qui eius uires sciūt colligitur. Eandē uim habere dicitur exenteratū caput funduli der schmirlein, repræsentās uultum uirginis ornatū, Sed tendamus ad reliqua.

DE LAPIDE CARPIONIS, Caput XXXIII.

INgredimur nunc quasi anatomias multorum animalium. recitabimus enim ordine (ut partim iam incepimus) gemmas, & alias res quæ in medelis usum habent, quæ ex ipsis animalculis colliguntur. Commodè autem nunc post gemmam percæ, tractabimus gemmam ipsius carpionis. Piscis est carpa uel carpio dulcis aquæ, notus, admodum uiscosus, propterea & uino coquitur, ad tollendam eius uiscositatem. A Germanis dicitur eyn karppe, oder carpen. In huius faucib. reperitur gemma seu lapis qui dicitur eyn karpensteyn, forma triangulari, magnitudine pro proportione piscis, coloris candidi extra, intus flaui. Is quoq; prodest calculosis. præcipuè hanc dynamin habeat, ut aduersetur ebullitioni flauæ bilis: wan eynen der soth seüt, ore contentus. Habet & alias uires, quas nunc breuitatis causa omitto. Præseruat contra colicam paßionem.

DE LAPIDE EX CANCRO, Caput XXIIII.

INueniuntur & in ipsis cancris, præcipuè fœmellis cum syphar exuerunt & deposuerunt lapides bini candidi rotundi, quos Germani uocant krebs augen, quòd quasi formam habeant oculi, od krebsstein. Vis illorum est frangere calculum uesicæ: pro-

cæ: propterea etiam colliguntur. Sed illis nihil est præsentius, frangere lapidem his qui de alto deturbantur. Arabes, ni fallor, lapidem uocant, rostein, siue reiben, frigidæ & humidæ naturæ. alij uolunt siccæ.

DE GEMMA EX ARANEO, Caput XXXV.

NOs Germani speciem aranei habemus domestici ingentis magnitudinis, quæ à cruce nomen inuenit, propter causam nescio quã: siquidẽ dicimus eyn kreützspinn: forsitan à texturæ forma, aut à coloribus corporis transuersis. & piaculum est quasi tales araneos lædere. dicuntur enim attrahere omnia uenena in ædibus. & tempore pestis rarò, uel nunquam conspiciuntur. In horum capitulis gemmam ferunt reperiri præsentißimam contra omnia uenena, & incantationes. uerùm illa nunquam uidi, nec ausus fui dissecto araneo quærere. nec mirum est, illam gemmam talem habere uim, cum uidemus telas ipsas araneorum magni esse momenti ad quamplurima.

DE SAVRITE GEMMA, Caput XXXVI.

SAura à Latinis lacertus, uel lacerta, à Germanis eydechs, egleß, oder heydechs, multarum specierum est: inter quas tamen pulcherrima uiridis candicante uentre, prope dumeta & sepes. qua

rum in uentre dissecto arundine, teste Plinio etiam libro tricesimoseptimo, capite decimo, reperitur gemma saurites, quæ contra uenenata ualere dicitur. nunc nouo experimēto ossa uiridis lacerti prosunt comitialibus. Colligi autem ossa tali modo debent. Imponas lacertam uiridem adhuc uiuam, captam, in aliquod uas clausum, plenum optimo sale, & sal paucis diebus consumit, carnem eius & intestina omnia: & sic facilè ossa colligere poteris. & tam ad illum morbum prosunt illa ossa, quàm ipsa ungula alsines, seu ut ut uocant Brutenici, des Elends klaw. Quamuis & hæc est magni momenti.

DE GEMMIS RVBETARVM, Caput XXXVII.

PHrynus, bufo, seu rubeta, eyn irdische krotte, oder pathe, ut uocant Saxones, tam fœdum animal, degens in antris, non sine gemmis est. Huius enim species in Gallia & Hispania, quæ cornuta, maculis croceis & nigris liuentibus, nomine borax, in capitibus gemmas fert eiusdem nominis, die krottensteyn, coloris interdum in candido fusci: quemadmodū talem uidi apud quendam nobilem. Interdum etiam in medio cæruleum habet oculum, si uiuæ boraci extrahitur adhuc uel palpitanti. Interdum niger est notulis liuentibus nigris, ut nostræ sunt busones. & talem ego aliquando habui.

forma

forma erat rotundus, magnitudine mediocris fabæ. Interdum uirides, interdum uersicolores etiam boraces reperiuntur. Vulgo tales lapides cropodinas uocant. Interdum etiam in his forma bufonum apparet sparsis pedibus. gestantur hi annuli à principibus. nam ubi uenena sunt, præsens talis lapis colorem mutat, & quasi sudans guttas emittit, & mirè quod uidi expetuntur à nostris boraces lapides bufonibus, ita ut saltu eos rapere nitantur. congregantur etiam circum eum, ubi apponitur in terrã. Cæterùm an boraces fiant seu gignantur ex cerebro bufonis, ut draconites uel echites, tuo relinquo iudicio. Alij boraces nasci ex uiscositate spumæ uolunt, quam boraces seu bufones in uere congregatæ efflãt in caput alicuius eximij quasi regis boracis. Nostri quoq; bufones tales flare lapides dicuntur. Cæterùm de apocimis, von den zacken in den krotten, uide Plinium. Nunc quoq; bufones suspenduntur aere, ut arefiant. & præsentißimo remedio sistunt omnem fluxum sanguinis.

DE ECHITE,
Caput XXXVIII.

Echis, id est uipera masculus, echidna id est, uipera fœmina. echiees catuli, seu filij echidis. estq; echis serpens quæ à nobis dicitur eyn natter oder atter. Cuius patria est circa domos, propriè tamen in dumetis ad aquas. Eius formam Nicander

cander pulcherrimè describit in Theriaca. de eius uerò coitu hic pauca addemus. Echis mas tempore coitus inserit caput in os echidnæ fœminæ, ita semen suum illi infundens. Echidna uerò siue futuri præsciens periculi, seu uoluptatis dulcedine mota, dum absorbet semen, seu quia scit uirum adulterũ, cum muræna sæpius coire, impetuosa mordicus inhærens, marito caput dentibus abscindit. at echies iam concepti in utero (sola enim uipera conceptu grauatur intra se, parat oua, & fouet, ut fiant animalia, cum reliquæ paßim serpentes oua pariant, & nido quasi congesto more auium, fimo scilicet ad sepes & dumeta fouent squameam suam genituram, ut Nicander dicit) cum uitæ primordia habuerint, & tempus appetiuerit partus, parentis sui interitum ulciscuntur, & erumpunt molli matris aluo corrosa, & nascuntur orbi & matricidæ. nec hæc uana sunt. Vidi ego in patria mea aliquando talem matrem echidnam corrosam, & catulos circum in sole iacentes uiuos ad Salam, ubi coquitur æs in modum lumbricorum. A uipera ergo echide gemma echites nomen habet, seu quia similis sit colore echidi, uel forma, habens maculas uipereas. de quo consule Plinium libro tricesimoseptimo, capite undecimo, & Solinum capite quadragesimo, à Germanis dicitur eyn natterstein. Vis eius contra uenenata ualere. Eandem uim habent linguæ uipe

rin

rinæ erepta furca palpitanti adhuc uiperæ: item & totum eius caput abscisum, & arefactum, quod testatur etiam Nicander in Theriaca.

DE DRACONITE, Caput XXXIX.

DRaconites, siue dracontias, siue drachates gemma est, teste Plinio libro tricesimo septimo, capite decimo, & Solino capite 33. quæ fit è cerebro draconum: sed nisi uiuenti abscindatur, nunquam gemmascit, inuidia animalis mori se sentientis. igitur dormientibus draconibus caput amputatur, & ita aufertur. animæ enim actus ad multa confert. quæ mortis corruptio humoribus alterat. coloris candidi est, fugat omnia uenena, & uenenosos morsus curat. Illa gloriantur reges Orientis, ubi etiam sunt dracones magni. Nostri quoque hydri et chelydri, vnser grawen wasserschlangen in capitibus gemmas ferunt nonnunquam (ut uidi) quas dicere poßis draconites à similitudine, forsitan hæ quoq; ex illorum cerebris nascuntur: uel ut uolunt alij, ex spuma quam uerno tempore excitant attritione mutua uel ore sibilanti, indurata sole, wan sie den schlangensteyn blasen, ut de bufonibus diximus. Tales nostras draconites uidi coloris cærulei aut nigri in forma pyramidis. Albertus sese draconitem uidisse dicit exemptam tali nostro chelydro, nigram, non perlucidam, in circuitu coloris

loris pallidi, pulcherrimã habentem descriptam serpentem in superficie. Fugat & hæc uenenata, ut uera dracontias, & saluat uenenatos morsus. Habet & syphar, id est senectus chelydrorum nostrorum, die schlangen haut, suas uirtutes in medicina. suffitu enim sanat mirè sedem & uuluã prolapsam. Stellionis quoq; tunicula quæ rarißimè reperitur, quia stellio resorbet illam (ut pauo suum stercus inuidens tale nobis bonum) prodest comitialibus.

DE OPHITE, Caput XL.

Commodè hic dicemus post draconiten & echiten, de ophite quoq;. Est autem ophites species marmoris, cuius Dioscorides tres facit species. Prima est ponderosa & nigra. Secunda est cinerei coloris, habẽs lineas cinereas, distincta punctis, quæ reperitur apud nos nõ procul à monte Ioachimico, seu ualle, ut dicunt. Tertia lineis quibusdã candidis intercincta est. Dicitur autẽ ophites, quia colorem habet serpentinum. Non est uerò echites eyn natterstyn, de quo suprà, qui uipereas habet maculas: licet is quoq; ophitis species esse poßit. neq; est dracontias peregrinus, neq; noster, der drachensteyn, oder vnser schlangesteyn, qui fit ex cerebro draconum aut serpentum, uel ex spuma ut docuimus coagulata. In summa, ophites dicitur tantum propter colorem, eyn schlangensteyn, quia colore serpentes repræsentat. Et illa species lineis cinereis,

nereis & nigricantibus omnino est, tanquam sunt nostri chelydri in colore, ad ostiũ Tangræ, ubi fuit olim regia sedes Caroli Quarti, in arce templum est uarijs ornatum gemmis, in quo undiq; parietes ophite tali splendent, & huius species est echites, qui uipereas notas habet. Est alia etiam species ophitis magis accedens ad formam serpentis, quia squamas habet ut serpens. & est crustaceus lapis. Reperitur in Saxonia multis locis circa Hildesheymium. sordet omnino tanquam cornu. Illa species aliquando mihi est à Cordo demonstrata. Est & tertia ophitis species à me inuenta ad litora Albis prope ostiũ Tangræ. eratq; lapis tenuis, oblongus, in forma omnino tanq̃ serpens, ut si serpens induruisset in lapidè, intus coloris nigri in cæruleo nitentis, foràs albicantis. Plinius libr. 36. cap. 7. ophiten quoq; nomen accepisse docet à serpentium maculis. eiusq; duo facit genera, molle candidum, & nigrum durum. ex albo docet fieri uasa & cados: sic quoq; fierent ex ophite nostra uasa, si quis tentaret. Prosunt ophites lethargo, dolori capitis, & ictibus serpentium, teste Dioscoride & etiam Plinio. Suntq; ita duplices ophites, quoad notas & lineas, & quo ad ipsam formam serpentum.

Cæterùm ophiten ueteres astrologi dicarunt Saturno.

DE

DE LAPIDE SPONGIARVM, Caput XLI.

SVprà in fine libri secundi docuimus de spongijs, tertiam esse spongiarum speciem, quæ in se contineat lapides quasi natiuos, qui minus calidi secũdum Auicennã, quàm ipsæ sint spongiæ, quos Plinius libro tricesimosexto, capite decimonono, cysteolithos uocat. Hi lapides uino poti, uesicæ calculos, teste Dioscoride, uel etiam renũ rumpere affirmant.

DE OSTRACITE, Caput XLII.

OStracites ab ostreis nomen inuenit, cum tamen sit similis testæ, crustosus, & fißilis in laminas. Plinius libro tricesimosexto, capite decimonono, unam eius speciem, id quod & Dioscorides facit, similem dicit testæ, cuius usus sit pro pumice. Porrò libro tricesimoseptimo, capite decimo, ostraciam siue ostraciten testacea hac priori specie duriorem dicit, & illi nomen & similitudinem ostream dedisse. Alteram eius speciem similem esse achatæ docet, nisi quòd achates politura pinguescat duriori. Sic ostracitidis sunt tres quasi diuersæ species: una quæ testæ, altera quæ ostreæ, tertia quæ achatæ similitudinem habet. prima, quæ testæ similis est, reperitur, habens scißiles uenas, naturaliter incensis montibus in Saxonia. Altera quoque

que quæ ostreæ similis reperitur in rupibus in Saxonia. teste Dioscoride, ostracites plurimũ ualẽt ad mẽses sistendos, inflãmationes mãmarum, nomas.

DE CHELONITIDE, Caput XLIII.

PLinius libro 37. capite 10. mentionem quoq; facit gemmæ chelonitidis, quæ sit similis testudinibus. in ueteri Marchia ad ostium Tangræ, qua Tangra flumen confluit Albi, ubi quondam sedes regia fuit Caroli Quarti, ad Albim infra oppidum prope uillam quæ à Carolo condita, et eius nomen habet, & nunc crasse dicitur Calpu, cum Caroligepew propriè deberet dici, ubi est scaturigo cuiusdam fontis irruentis in Albim, locus est amœnißimus, & fœcundus uarijs gemmis, quas hactenus in præcedentibus mihi inuentas ad ostium Tangræ perstrinximus. In illo quoq; loco, chelonitis gemma mihi est inuenta, uariarum tamen specierum. Primum illic à me inuenta est chelonitis, quæ forma omnino repræsentabat cochleas marinas, wie ein Iacobs můschel, oder meer můschel. nonnunquam chelonitin perfectam & solam inueni illam, non nunquam uix inchoatam,



imperfectam, in lapidem introrsum alium insculptam

ptam, nonnunquam eleuatam miro modo, nonnunquam perfectam: sic tamen, ut pro parte alteri lapidi adhærebat: interdum duo uel tres perfectæ uel imperfectæ unà erant: interdum magnæ, magnitudine fabæ: interdum adeò paruæ, ut fermè uisum fugerent: interdũ fuluæ, candidæ, nitentes in morem onychis: interdũ nigræ lineis egregijs cochleæ marinæ in modum expreßis. Accidit aliquando, cum peterem illum locum, cum uenerabili uiro eximia uirtute & doctrina M. Christophoro Lybio & Ambrosio Barbato, amicis meis, Lybius inuenit forte fortuna lapidem coloris pallidi mollem, de quo cum prospiceret talis chelonitis pro parte corporis quasi è medio lapide, cum nos illam, fracto lapide, eruere conaremur, inuenimus lapidem illum prægnantẽ talibus chelonitibus tribus uel quatuor perfectis integris. ita quæ sunt perfectæ chelonitides et solæ reperiuntur, mihi uidẽtur sic nasci in alijs lapidibus tanquam in matrice, ut si lapides tales frangãtur prægnantes, (ueluti aetites) excidant chelonitides. & profectò mihi uidentur hi lapides prægnantes talibus chelonitibus, aliquid arcani habere, & ingentem uirtutem. Plinius L. C. dicit facere ad tempestates sedandas. Quomodo uerò fiant imperfectæ chelonitides istæ in lapillis, impressæ ab extra, aut eleuatæ, tu iudica. puto ego fieri eas sicuti reliquæ impreßiones, & profectò ille locus

non

non sine aliquo singulari genio mihi esse uidetur. forsitan si illic fodinæ fierent, aliquid boni subesset. Sed de chelonitide, quæ similis cochleæ marinæ, wie ein meermůschel, iam satis est. Porrò & in illo loco à me inuenta chelonitis est, alia forma, nempe oblongã referens aquaticam concham tornatilem, quæ hinc inde reperitur ad flumina, ut ad Albim. Spero autem me illic adhuc quàm plurima inuenturum. Videntur et hæ chelonitides mihi habere uim ostracitis. Plinius etiam ni fallor speciem chelonitidis describit esse aureis guttis. Profectò reperitur illo in loco chelonitis cãdicans ueluti onyx, guttulisquibusdam. aliàs chelonitem uolunt reperiri in corde testudinis. Sed Plinius cheloniã illam uocat, & esse oculum dicit Indicæ testudinis.



DE CHELIDONIO, Caput XLIIII.

CHelidonius lapis uel gẽma chelidonia reperitur in uentriculis hirundinũ, captis pullis hirundinũ, crescẽte luna, ut uult Diosc. lib. 2. cap. 47. scilicet his qui primo partu exclusi sunt, dissectis illorum uẽtriculis inueniũtur duo lapilli, magnitudine, ut ipse uidi, seminis lini, & etiã eiusdẽ formæ, unus niger, alter ruffus apparet: uel ut Diosc. uult, unus calore uarius, alter purus: uel ut Plinius docet libro 37, cap. 10, colore hirundinum, alia parte

purpureæ, nigris maculis interpellantibus. Ego nigros & ruffos tales uidi lapillos. Ruffus seu purpureus ualere dicitur contra insaniam, epilepsiam. dicitur & conciliare gratiam. Niger sedat iras, & facit contra febres, malos humores. cõducit oculis. reliqua magica omitto.

DE LAPIDE QVANDRO, Caput XLV.

QVandros lapis est seu gemma quæ reperitur in cerebro & capite uulturis, coloris candidi: quæ replet mamillas lacte, & contra nocuos casus ualere dicitur.

DE LAPIDE QVIRITE, Caput XLVI.

VPupa obscœna auis, crista uisenda plicatili contrahens eam, subrigensq; per longitudinem capitis, tota auis præstigiosa, & augurialis. in huius nido reperitur lapis, nomine quiris, qui dicitur esse secretorum proditor, & excitator imaginum in somno uariarum. sed nos non tractabimus magica. pergemus.

DE AETITE, Caput XLVII.

AEtites à Germanis dicitur ein adlerstein, uel propter colorem, uel propter uirtutem illam, quòd aquila sine illa parturire nequeat. alleuiat enim partũ. ab alijs dicitur lapis erodialis uel


aquileius.

aquileius. Estq; gemma uariarũ specierũ ut ego obseruaui. Prima eius species prægnãs est lapide, ut eam describit Diosc. cum quatitur alius lapis in utero sonat. Estq; lapis rotũdus, ut galla cõcauus alium in se prægnãs lapidẽ continens. hæc species reperitur ad Salã, Albim, & plurimũ in regione quæ iam à nostris dicitur die Stewermarck. hæc immensas habet uirtutes, præcipuè cõtinet partus grauidis, cum uuluæ sint lubricæ. Secũda species aetitis est prægnãs terra siue argilla cãdida uel crocea, et hæc est geodes gemma cuius Dioscorides in fine capitis citati mentionẽ facit. talis quæ in se terrã siue argillam conceptam tenet, reperitur Dresden in Misnia, & hinc inde in Saxonia. ad Albim loco descripto illam speciẽ crocea argilla prægnantẽ inueni. reperitur ad Salam, candidam in se continens argillã. Tertia est prægnãs aqua quæ posita in loco calido sudat & enydros dicitur. Vnde & carmen:

Perpetui fletus, lachrymis distillat enydros,
Qui ueluti ex pleni fontis scaturigine manat.

Plinius lib. 37. cap. 11. & Solinus cap. 40. huius egregiè mẽtionem faciunt. Sic enim inquit Plinius: Enydros semper rotunditatis est absolutæ, in candore est leuis, sed ad motum fluctuat intus in ea ueluti in ouis liquor. Et Solinus: Enydros exudat, ut clausam in eo putes fontanam scaturiginem. Quarta species est prægnãs arena et lapillis. Quinta est

prægnans chelonitide, mit den mŭschelsteinen, de qua in præcedēti capite. Sexta species prægnās est candido silice. quam speciē etiam inueni ad Albim in loco suprà descripto. cuius matricem cum aperirem, inueni silicem tali forma, candidū, subrotundum in longum, durißimū, quasi ad caput alicuius animalis adhæsisset. erantq́; in eius superficie cellulæ quasi apum in fauis. cuius speciem alteram aliquando extra matricem inueni solam, tali forma, quasi fermè pileus. Plinius lib. 10. cap. 3. aetitem, quem aliqui & gagitē dixere, reperiri inquit in nidis aquilarum, præcipuè barbatarum: & esse lapidem prægnantem, intus cum quatiatur, alio ueluti in utero sonāte, & qui nihil igne deperdat: & hoc quasi commune habeat cum gagate, unde forsitan & gagites dicatur: præterea illi maximam uim medicam qui è nido aquilæ diripiatur. Porrò libro tricesimosexto, capite uicesimoseptimo, reperiri aetitem in nidis aquilarum dicit, & binos unà marem & fœminam, & sine his párere aquilas non posse: sicuti aquila exclusis pullis, supponit achatem, qui custodit illos à morsu uenenatorum. Facit autem aetitis hæc genera, uel species has.





Aetites Plinij est quadruplex, scilicet:

1. Pusillus, mollis, in Aphrica nascēs, intra se ac ueluti in aluo habens argillam suauem candidam. Estq; friabilis. & putant esse fœminini sexus. & hæc species reperitur apud nos argilla flaua prægnans. Et hic est geodes Dioscoridis.

2. Durus similis gallæ nascitur in Arabia, qui mas esse creditur, subrutilum in aluo habens lapidem ac durum. hic maximè celebratur à Dioscoride, & etiam reperitur apud nos, ut in præcedentibus dictum est.

3. Nascitur in Cypro, colore similis illi qui in Aphrica nascitur, amplior tamen atq; dilatatus. cæteris globosa facies mollis est, & friabilis, habet in aluo arenam iucundam & lapillos. cuius species sunt prægnantes cōchylitide & silicibus.

4. Nascitur iuxta Leucadem in Taphiussa, unde dicitur Taphiusius. inuenitur in fluminibus candidus & rotundus. hinc est in aluo qui uocatur callimus, nec quicquam est tenerius.

Aetites omnes continent & custodiunt partus, & ualent contra omnes abortuū insidias, ut idem Plinius testatur libro tricesimo, capite quarto. Porrò libro tricesimoseptimo, capite undecimo, actitem à colore aquilæ cauda cādicatis esse. Cæterùm nota, quòd hunc actitē uocāt quidā & echitē, quia echis quæ hæres auium sit, habitet iuxta illa littora

oceani, ubi actites reperiatur. Verùm alia est actites, ein adlerstein, de quo hic agimus. Et alia est echites, ein naterstein, de quo suprà. Plin. L. C. & specialiter echitis & actitis meminit, ergo non sunt idem. Vide de aetite & Solinū cap. 40. Serap. lib. Aggr. cap. Hager Athamach, & Rasim libro de proprietatibus, Albertum, Euacem, et alios.

DE CALLAITE.

Caput XLVIII.

CAllais uiridis, pallensq; gemma, nascitur, teste Plinio, in India, apud incolas Caucasi: etiam in Germania in rupibus inuijs & gelidis, oculi figura extuberans, leuiterq; adhærens, nec ut annata petris, sed ut apposita. Sunt qui in Arabia eam inueniri dicunt, in nidis auium quas uocant melancoryphos. Vide Plinium lib. 37. cap. 8. et 10. ubi eam imitatorem saphiri uocat. candidiorem tamen, & littoroso mari similem. Vide & Solinum in Polyhistore, capite uicesimotertio. At quæ sint aues, in quarum nidis inueniatur, quæ à nigro capite seu uertice nomen habet, (nam melancoryphos est quasi atricapilla) tuo relinquo iudicio. Quidam melancoryphon uolunt ipsam alaudam seu galeritam esse. A pastoribus nostris in Saxonia reperiurtur lapides in nidis auium, quæ à sono uocis dicuntur kwbith, coloris subpallidi. Estq; illa auis propriè siluestris, quasi pica, candidis &

atris

atris constans pennis, capite nigro, in quo crista ui
senda conspicitur, sonora, pro more picarum, circa
latentes homines stridula, propterea à latronibus
odio habetur. Hæc mihi ferè uidetur esse melanco-
ryphus, nihil tamen affirmo. pastores talibus lapi-
dibus inuentis utuntur contra incantationes & lar
uas nocturnas. Cæterùm de melancoryphis con-
sule Aristotelem. Plinius libro decimo, capite ui-
cesimonono, ficedulas melancoryphos dici ait, præ
ter autumno, cum mutent formam coloremq;. Item
libro eodem, capite sexagesimo, post picam melan
coryphum tradit, cumq; párere supra uiginti oua,
numero semper impari. & hoc semper facit nostra
illa auis Kubith, nidificans ad paludes, & in pra-
tis, ad aggeres plerunq;. in superiori Germania ra
rißimè conspicitur.

DE LAPIDE BEZAAR, Cap. XLIX.

Lapis bezaar, teste Serapione, libro Aggre-
gationum capite Hager bezaar, primùm si-
gnificat omne medicamentum conueniens alicui ue
neno. Secundò in specie significat lapidem qui ge-
neratur in oculis ceruorum (sicuti legimus totos
oculos hyænæ lapidescere. hinc gemmæ hyæniæ di
cuntur apud Plinium) in Oriente. Ceruus enim
uerno tempore inuestigat cauernas serpentium, na
riumq; spiritu extrahit renitentes, easq; comedit,

ut ita purget annuum tædium. mox petit aquas & flumina, quibus sese mergit usque ad ipsum caput, tamdiu quoúsque sentit superatam uim ueneni. interea lachrymas emittit oculis ui ueneni, quæ coagulatæ penes oculos desiccantur, & decidunt. Hæ lacrymæ coagulatæ sunt bezaar, contra omnia uenena. & reperiuntur coloris citrini, pulueruleni, subuiridis, & candidi. & uolunt eas inueniri in Syria, India & Oriente. Nos in Germania etiam in nostris ceruis uidemus aliquid penes oculos sæpe lapidescere. & materia illa coacta ossea quasi ex lacrymis proculdubio, colligitur à uenatoribus, & est bezaar. id est, aduersatur etiam omnibus uenenis, prodest cardiacis, & contra defectus animæ, sanat omnes ictus uenenatos. propterea magni æstimari deberet à principibus. Eandem uim habet, & est bezaar, os de corde cerui, Die creützlin die man findet inn dem hertzen deß hirßen. sicuti sciunt uenatores. pro forma, ut sunt fermè cruces in capite lupi aquatici: præterquàm quòd ossa sunt. Porrò talia ossa de corde cer uæ seu hinnulæ custodiunt partum, & prægnantibus mirè conducunt. Eandem uim habet lapis repertus in uentriculo & intestinis ceruæ. Sed cum facta est mentio cerui, addemus pauca de reliquis eius uirtutibus. Medulla eius conducit omnibus inflammationibus, præcipuè uuluæ. Genitale

eius

eius neruosum arefactũ, sedat colorem coli, potu. Ramenta eius pudendi incitant uenerem. Sanguis eius sistit aluum, & prodest calculosis. Cornu eius acquisitum intra festa, ut uocant, Mariæ, præcipuè extrema ramorum, mirè comitialibus prosunt. & aduersatur hausto ueneno. Pulmone eius nihil utilius phthisicis.

DE VARIIS, Caput L.

Tophus in uentre secundo iuuencæ custodit partum, & ægrè parturientibus summum est remedium. Iecur apri siluestris sistit aluum. & tophus repertus in eodem, mirè prodest calculosis. Dentes crocei castoris, si inde bibitur, prosunt ictericis, & quartanis febribus. Tali leporini, Der hasen sprungk, ut uocant Germani, item renes eius inueterati, prosunt calculosis. Adeps eius frangit abscessus. Exemptus partus ex utero eius, concrematus, ualet asthmaticis, custodit partum, facit ad conceptionem. Coagulum eius, & hinnuli præcipuè interfecti in utero materno, aduersatur omnibus uenenis haustis. Eandem uim habet stomachus ciconiæ, inueteratus. Nec mirum, cum ciconia omnia uenena digerat.

Eandem

Eandem uim habere ferunt cachrin quercinam, den eychen hopffen. ungula alsines (ut uocant) uel Brutenici, des elēdes, prodest comitialibus, et iuuat partum. Cochleæ terrestres nigræ, quæ in folijs & gramine reperiuntur, reptantes absque domibus, tempore ueris & æstatis, conquassatæ & impositæ ulceribus, omnia emolliunt ulcera, miro auxilio.

DE VVA QVERCINA, Caput LI.

VVa quercina ignota fuit ueteribus, res magni momenti. Est autem uua quercina à me primùm inuenta forte fortuna, tempore ueris, cum ad quercus alias effoderem herbas, in siluula quercinea prope ostium Tangeræ. quam & ut tu candide lector noscere discas, eius descriptionem huc apponere uolui. Estq; uua quercina concreticium quiddam, in forma uuæ, ad radices quercuum sub terra tempore ueris, ex humore radicum forsitan superfluo. saporis omnino stiptici, colore foràs purpureo, intus candido, & quasi lactifero: Es sihet wie eyn roter Weintraub von vielē beeren zůhauf getruckt. in æstate, quod obseruaui, uua perit illa, & quasi fit lignea. Tempore ergo ueris colligi debet ad radices quercuum, & debet siccari umbra, & deinde puluerisari. illo puluere est nihil (expertus loquor) præsentius in dysenteria, & in omni fluxu

fluxu sanguinis. Desperatos dysentericos aliquot seruaui illa uua quercina: meritò ergo digna est omni laude. Habet & alias uirtutes, de quibus medicis est cogitandum.

DE STOMACHO CVIVSDAM piscis, Caput LII.


Piscis est ex genere anguillarũ capitosus, Germani quem à sono uocis uocant eyn quappe. illum piscatores ferunt ore coire cum ranis aquaticis illis maioribus. Sicuti uidemus sæpe animalia diuersæ speciei inuicẽ coire. Sic uulpes cum martorallo, sic murena cũ uipera, sic lupus cum cane, sic luscinia cũ xanthiuro coit. Cæterùm ore aliàs coeũt cancri, sæpiæ: item maiores corui, bonosæ, & siluestres gallinæ, quæ à uitibus, uitice, & agris noualibus nomen habent, de quib. paulo infrà. Et nescio quid ille ipse piscis ranini præ se fert ore, deinde pinnis inferioribus ad caput, colore tẽpore coitus. Postremò quod omnium maximum est stomacho. Nam stomachus eius quasi ex quinq; uel sex raninis pedibus constat & compactus est. Hinc Saxones dicunt prouerbio, Es ward eyn quapp no nie so gût, sie heft inn sick eyn patten futh. pedes enim uocant eyn futh, & ranas uocant patten. propterea etiam ille piscis ab illis odio habetur. Hic stomachus eius raninis constans pedibus, ingentes habeat uirtutes. Inueteratus enim, ut fit in Sa-

xonia à matronis, trahit mirabili dynami ſecundas hærentes aut relictas in partu. potu datus, & magni momenti eſt ad omnia uitia matricis. Quis talia primus inuenit? quis perſcrutatus eſt? ô immenſa Dei bonitas, qui nihil ocioſum, nihil inane finxit.

STO-

STOMACHVS PISCIS, QVEM uocant quappium. Hinc ſtomachus à Saxonibus ille dicitur quappen füth, quappen hendicken, quaſi manus ſeu pes quappij piſcis.

ΟΙΣΟΦΑΓΟΣ.



DE

DE IECORE LVPINO, Caput LIII.

Sicuti epar hominis quinq; habet pinnulas, & his ceu digitis amplectitur uentriculum: sic è contra ego obseruaui iecur lupinum, uulpinũ, erinaceum, tot pinnulis constare, quot sint anni istius animalis. Nam pro numero annorum semper his noua accedit pinnula: & cum anno labente adhuc, occiduntur talia animalia. imperfecta etiam apparet pinnula, quod sæpe miratus sum. Iecore illo lupino inueterato optimè in clibano cũ absinthio, nihil præsentius in phthisi cum uino, imò conuenit omnib. uitijs epatis. strangulatui uuluæ idẽ pulmo facit. Corde lupino indurato nihil preciosius in epilepsia. uulpinus pulmo siccatus, tritus, datus aqua prodest lieni, sistit fluxus alui, prodest asthmaticis, & phthisicis. Eandem uim habet pulmo & iecur erinacei.

DE GEMMA GALLI SILVEstris, Caput LIIII.

Pisces, sæpiæ, loligines linguis, componentes inter se brachia, & in contrarium nantes coeunt, & pariunt ore. Item locustæ, squillæ, cancri, ore coeunt. Sic multæ aues ore concipiunt & coeunt, ut sunt corui, exosculatione facta. ut fit in columbis. licet hoc negat Aristoteles. nec ego admodum adfirmo, quia non uidi coeuntes. coeunt enim

enim corui circa æquinoctium uernum (loquor ego de ueris coruis von den großen raben, welches man heißt kolckraben, à sono uocis) & per quadragesimam excludunt pullos & fouent. Nam ipse aliquoties in Saxonia circa festum paschatis illorum pullos uidi et habui. Altera uerò species corui, quæ dicitur à Saxonibus corracken, æstate circa solstitiũ excludit pullos, de quibus loquitur hoc carmẽ:
Coruus maturis frugibus oua refert.
Et potest fieri, ut corui isti ueri ore coeant (diuina sic ordinante mente) in frigore. nam si uulgari modo auium coirent, frigus semen unà incidens in matriculam corrumperet. & profectò horum species quæ templa incolit, & à Germanis dicitur ein dole oder gacke, à sono uocis, ore coit tempore uerno. Sed hæc alio tempore disputabimus. Mirum est unius generis species, diuersis ita excludere pullos temporibus. linquamus sanè nigros coruos, & accedamus ad rem ipsam. Fermè omnes gallinæ siluestres coeunt ore, diuerso tamen, ut audies modo.
Hæ species gallinarum siluestriũ, quæ à corylis & uitibus nomen habẽt, dicuntur enim ein haselhůn, ein rebhůn: item quæ ab agris requiescentibus nogen inuenere in Marchia, ein brachhůn, brachuogel, coloris cyanei, optimi saporis, boni chymi, coeunt ore circa æquinoctium uernum, osculatione facta ut solent columbæ. gallus enim istarum specierũ

rostrum inserit in os fœmellæ, & ita sperma infundit, more uiperarum, in fœmellam. hinc credibile est quod ferunt aucupes & uenatores, gallos de siluestribus gallinis, quæ à corylis nomen inuenere (quas aliàs, nescio an bene, bonosas uocant) senio cõfectos oua more fœmellæ ponere, quæ excludant buffones, & ex illis nasci basiliscos siluestres, die haseselwürhm: sicuti ex ouo galli gallinacei domestici post nouem annos excluditur basiliscus per rubetam domesticus. id quod testatur experientia. Sunt enim isti serpentes die haselwürhm, uerè basilisci siluestres descriptione Nicandri, qui basiliscum siluestrem describit. Neque est genus per se, & rarißimè reperitur. In Marchia & in ditione abbatis Zinnensis, prope urbem Luckenwaldam contigit mihi uidere talem serpentem interfectum à pastore. & profectò magna in siluis ibi est copia talium gallinarum, der haselhuner. Serpens erat capitis acuminati, flaui coloris, & fermè crocei, longitudine ad tres palmas & ultrà, immensæ craßitudinis, cauda turbinata in latus, multis notulis candidis aluo insignitus, tergore tendente ad colorem cyaneum, oris immensi proportione corporis. Pastor qui eum interfecerat acuminata securi, narrabat mihi illum uesci ranis, serpentibus, & omnium generum

nerum animalculis, præter bonosis, ut de quarum prosapia sit genitus. habitationem eius esse ad paludes, præcipuè ubi coryli sint. & hunc mirum in modũ delectari lacte, propterea interficere eum uaccas uenenato ictu, & propterea eum quoque eo magis peti à pastoribus, & interfici. Retulit idem mihi pastor, eius uocem esse ueluti anseris defendentis pullos. & hanc uocem Nicander uocat Iygen. Porrò altera species siluestrium gallinarum, quæ nomen inuenit ab arboribus, & patria, ubi potißimum uersatur, ein birckhan, dicitur & aurhan: forsitan ab aura, quam facillimè sentit propter rarißimum corpus: aut urhan, à senio longißimo: aut cauda, aut magnitudine, quia reliquis gallis maior. Etiam coit ore mense Maio, at multo aliter, quàm bonosæ. Gallus huius speciei sperma ex ore, tempore coitus in uere, excreat & euomit, & uoce magna aduocat gallinas ipsas, (sicut domesticus gallus aduocat gallinas, inuento aliquo grano) quæ cum aduenerint, sperma eiectum, & excreatum à gallo in terram, ore legunt, & reglutiunt, & tali modo concipiunt. Quas deinde ludens gallus omnes ordine comprimit, & quasi ratum facit semen comestum. At non coit, quod uidi: sicuti semina quorundam piscium tantum afflatu masculi, teste Plinio, rata redduntur (ut ita dicam.)

Nam super quas gallinas non ascendit, ipsæ oua hypneumia pariunt, ut domesticæ gallinæ. Quicquid uerò, fugatis gallinis, casu aliquo remanet in terra de spermate galli excreato, hoc operante sole nonnunquam, forsitan rore aut pluuia superueniente, & putrefacta materia, mutatur in uermes & serpentes quæ dicuntur à Germanis vrhanschlangen, vnd birckschlangen. harum copia est in silua quæ à Tangera fluuio nomen habet in ueteri Marchia. Quicquid econtra remanet in terra spermate de excreato istius galli, pluuia non superueniente, aut rore coincidente, mutatur & coagulatur quasi in uesicam translucidam & candidißimam, & ueluti lapidescit, & fit gemma, quæ à pastoribus & uenatoribus colligitur, & reperitur in locis ubi tali modo coeunt galli tales, auff dem paltz platze, tempore uerno. wan yhr paltz zeit ist. Hæc illa ipsa gemma facta & coagulata ex spermate galli excreato, mirum in modum facit ad conceptum datum mulierculis sterilibus. incitat ad Venerem, & auget appetitum prolis. Gemmæ tales magnitudine, & forma, & candore margaritarum apparent. nonnunquam grana harenæ unà coagulata in his reperiuntur, aut pulueres.

DE

DE LAPIDE MEMPHITIDE, Caput LV.

MEmphites lapis reperitur in Aegypto iuxta Memphin. habet enim nomen à loco, calculorũ magnitudine, pinguis, uersicolor, ut eum describit Dioscorides & Plinius libro tricesimo-sexto, capite septimo. Verùm qualis sit, iam ignoratur.

DE SELINITIDE, Caput LVI.

DE lapide Arabico cum ageremus, indicauimus & hunc selinιten lapidem, pro lapide speculari habitum: sed lapidem Arabicum, diximus propriè esse lapidem specularem, potißimum illam speciem, quæ ebur repræsentat iuxta Pliniũ, & quæ ebur maculosum iuxta Dioscoridem. Est autem hæc prorsus mea sententia. Si selinites est lapis specularis, propriè est illa eius species, quæ candidißima, unde fiant fenestræ, lignis leuigatis loco plumbi. Nam indicauimus suprà, species esse specularis lapidis uarias. Sic dico candidus lapis specularis est selinites: & qui ebur repræsentat, est Arabicus. Dioscorides seliniten aphroselinon dici ait, quia noctu inueniatur lunæ imaginem reddere. id facit specularis lapis candidus. nam apertè in eo luna conspicitur splendens, ueluti in speculo. Sed an cum luna augeatur & decrescat, nescio. humor hic lapis con-

cretus esse uidetur. Consule Plinium libro tricesimoseptimo, capite decimo. qui nonnihil uariat à Dioscoride, & more solito recitat fabulas. Consule & Solinum in Polyhistore, capite quadragesimo. Albertus seliniten cum chelonite miscere uidetur.

DE CATOCHITE, Caput LVII.

Veluti magnes ferrum, sagda lignum, gagates & succinum paleas attrahunt & retinent: sic catochites carnem & manus retinet, innato gummi seu glutino lentissimo. Reperitur in agro Corsicano, teste Solino in Polyhistore, capite nono, & Plinio libro tricesimoseptimo, capite decimo.

DE GEMMA ONYCHE, Caput LVIII.

Suprà de alabastrite onyche egimus, hic de gemma nobis agendum eiusdem nominis. Est enim onyx gemma secundū Plinium lib. tricesimo septimo, capite sexto, candorem repræsentans unguis: uerùm multarum specierum. nonnunquam enim chrysolithi & sardæ et iaspidis colorē refert. Indica onyx nonnunquam ignea, nigra, cornea, cingentibus candidis uenis, oculi modo interuenientibus, quarundam oculis obliquis uenis. Sunt & in Arabia onyches candidis zonis, nigræ, quæ quomodo diffe-

do differant ab Indicis; consule Plinium loco citato. Hinc dicimus sardonyx, quasi sarda, quæ nomen cum onyche communicauit, & uolunt sardio præsente ligari onychem. Insuper dicunt onychem ex lachryma arboris lapidescere, & fieri: quia igne concrematus, mittit odorem, & uarijs apparedt impreßionibus & formis. Albertus quoq; onychis species facit nigras, rubicundas, & albas: quæ tamē omnes cum fricentur, soluantur in substantiam repræsentantem unguis humani similitudinem. Ferunt, onyches tristitiam & timores excitare. mouent enim melancholias, excitant & lites, & somnia turbulenta, adaugent saliuam pueris. Sarda uerò illi coniūcta, id est, sardonyx, lenit istam uim, & reddis homines castos, & pudicos. De iasponyche suo loco infrà de iaspide agemus.

DE SARDA, Caput LIX.

Ex sarda gemma, quæ & sardius lapis dicitur, & nunc darneolus uocatur, teste Plinio libro 37. cap. 7. olim fiebant uasa potoria. & illa gemma nomen cum sardonyche communicauit, & nomen habet à Sardibus, ubi primum reperta. laudatißima tamen in saxi corde in Babylonia. reperitur & alijs locis, ut in Epiro & Asso. in India trium generum, rubrum: secundum, demium à

pinguedine. 3. argenteis bracteis sublinitum. Indicæ prælucent. craßiores sunt Arabicæ. Reperiuntur & in Aegypto, quæ bracteis aureis sublinuntur. In his mares excitatius fulgent. fœminæ sunt pinguiores, & craßius nitent. Damnantur ex illis melleæ & testaceæ. Albertus sardam acuere ingenium prædicat, et reddere homines lætos, quia purgat sanguinem, & spiritus bonos procreat. De Sardonyche aliàs uide Solinum in Polyhistore capite tricesimosexto, Plinium libro tricesimoseptimo, capite sexto.

DE CARBVNCVLO, Caput LX.

CArbunculi gemmæ preciosißimæ ab ignis similitudine nomen habent, cum ipsi ignem non sentiant, propterea dicuntur apyrustæ, apyroti, uel acausti. Et carbunculus proculdubio est pyropus. unde Ouid. fingit 2. Met. domum & aulam Solis factam. Horum carbunculorũ species seu genera sunt uaria. Primùm sunt carbunculi Indici & Garamãtici, quos Carchedonios uocãt. Indici sunt sordidi, fulgoris retorridi. ex his qui languidius liuidiusq; lucent, uocãt liuicõtas, et sunt Carchedonijs ucris multo maiores. Secundò sunt carbunculi Aethiopici pingues, lucem non emittentes, flagrant conuoluto igne. Tertiò sunt Alabandici scabri reliquis nigriores. Quartò nascuntur & in Thracia,

in Orchomeno Arcadiæ, teste Theophrasto, & in Chio, nigriores. Quintò sunt Trœzenij uarij interuenientibus maculis albis. Sextò sunt corithij, ex pallido cādidi. Cæterùm in omni genere masculi appellantur acriores, & flammæ liquidioris, nigrioris, lucidioris, ac in sole flagrantis. At fœminæ refulgentes languidius. Optimi carbunculi sunt amethystizontes, id est, quorum extremus igniculus in amethysti exit uiolam. Proximi his sunt syrtitæ pinnato fulgore radiantes. Callistratus (Plinio citante) fulgorem carbunculi debere esse candidum, posuit extremo uisu nubilantem: & si ita extollatur, exardescentem, propterea carbunculū candidum uocari. Postremò Plin. lib. 37. capite 8. carbunculi speciem facit anthracitin, fossilem in Thesprotia, carbonibus similem. Docuimus autem suprà libro 2. de Cinnabari, Græcos multas res anthracas uocare: scilicet uenam minij, hæmatitem gemmam, & ipsum carbunculum: cuius proculdubio species est rubinus, quē aliàs dicere possumus lychniten, &c. Huius anthracitidis idem Plinius speciem esse dicit præcinctam candidis uenis, & horum lapidum colorem esse ut superiorum. iactatos in ignem quasi intermortuos extingui, contrà perfusos aqua exardescere. & his cognatam gemmam Indiacam sandastron, seu garamantiten, quæ & in Arabia nascatur: cuius in trāslucido intus ful

gent aureæ guttæ. Postremò huius generis lychniten esse docet, quæ in Caria & Orchosia nascatur, & probatißima in India. & esse remißiorem carbunculum. cuius species una radiet purpura, altera cocco. & excalefactas digitorum attritu, aut sole paleas attrahere. lychnitis speciem dico rubinum nostrum. Et Albertus ipse testatur, carbunculum anthracem dici à Græcis. & illum lucere in tenebris tanquam carbonem, superfusa aqua limpida clara, in uase uitreo mundo, polito. eiusq; species uarias esse secundum patriam, & ipsum splendorem, ipsamq; substantiam. Porrò habere eum uirtutem omnium aliorum lapidum: præcipuè contra uenenum & toxica. Nos etiam suprà docuimus de fluoribus, in nostris fodinis gemmas inueniri, quæ tamen igne soluuntur in aquas, referentes propemodum carbunculos. Notandum etiam & illud: Albertum describere gemmam, quam uocat pelagiam. forsitan à genere purpurarum. cuius Plinius libro nono mentionem facit. Hanc dicit esse rubei coloris transparentis, & esse fœminam carbunculi, seu eius palacium, quia in matrice eius gemmæ crebrò reperiri carbunculum. Et reperiri etiam lapides qui pro parte sint pelagij, pro parte carbunculi. Quæ restant de carbunculo, consule Plin. & alios. Vide & de anthracitide & lychnite Solinum in Polyhist. cap. 40. & 55.

DE

DE GRANATO,
Cap. LXI.

GRanatus, eyn granatlin. forſitan à pomo granato nomen inuenit. ſpecies eſt proculdubio carbunculi. Eſtq; gemma rubea perlucida, ſimilis balauſtijs, coloris roſacei, obſcurior carbunculo. Altera eius ſpecies, intra ruborem uiolæ ſparſum colorē habet. propterea granatus uiolarum uel uiolaceus dicitur. ſimilis propemodum amethyſtizonti carbunculo. Eius patria eſt Aethiopia, & arena maris. Granatus lætificat cor, & pellit triſtitiam. Huius uerò fœminam dicunt eſſe pæaniten gemmam, quæ granatus de Michedon aliàs dicitur. & uolunt illam certo tempore concipere & párere lapidem ſibi ſimilem, & mirè prægnantibus conducere. Plinius libro triceſimoſeptimo, capite decimo, & Solinus capite decimoquinto, non pæaniten, ſed pæantidem uocat. Eſtq; pæantides gemma illa quæ à noſtris dicitur gemmahuides, eyn gemmahu. Plinius eam & gemmonidam dici ait. & teſtatur fieri prægnantem, & párere, mederiq; concipientibus & parturientibus, reperiri in Macedonia iuxta monumentum Tireſiæ: & ex aqua glaciata ortarum gemmarū eſſe ſpeciem, quia etiam ſit candida.

DE AMETHYSTO, Cap. LXII.

AMέθυσος, amethyſtus, eyn amethyſt, coloris uiolacei gemma eſt. Plinius lib. 37. cap. 9. accedere ad colorem uini amethyſtum dicit. uerùm priuſquam eum deguſtet, in uiolam deſinere fulgorem in illa purpuræ non ex toto igneum, ſed in uini colorem deficientem. patria amethyſti, teſte eodē, India eſt: & quæ inde ueniunt, optimi ſunt, et abſolutum purpuræ colorem habēt. ad hanc dirigunt officinæ tingentium uota. Porrò altera eius ſpecies eſt quæ deſcendit ad hyacinthos, quem colorē Indi ſacron uocant, & gemmam illam dicunt ſacodion. Tertia & eſt ſpecies, quæ eſt dilutior, & dicitur ſapinos, & paranites. Quarta ſpecies colorē uini habet. Quinta ad uiciniam cryſtalli deſcendit, albicante purpuræ deiectu, & tales aliqui pæderotas, alij anterotas uocant. Multi etiam uocant gemmā Veneris. Eſt & amethyſti patria Arabia Petrea, Armenia, Aegyptus, Galatia, Tarſus & Cyprus. Verùm hæ ſordidiſsimæ atq; uiliſsimæ. Magorum uanitas amethyſtos reſiſtere dicit ebrietati, & malis cogitationibus: reſiſtere item ueneficijs, adeſſe reges adituris, auertere grandinem. Cæterùm de amethyſtizonte in præcedentibus egimus. At quis color ſit amethyſtus, conſule eundem Plinium lib. 21. cap. 8. & lib. 9. cap. 38. & 41. Amethyſti uiliores

liores reperiuntur multis locis in Bohemia. sunt et in fodinis fluores his similes.

DE HYACINTHO,
Cap. LXIII.

HYacinthus eyn hyacinth. Gemma est differens ab amethysto, quòd fulgor uiolaceus emicans in amethysto, dilutus est hyacintho, gratus primo aspectu, euanescit antequam satiat, marcescens celerius nominis sui flore, ut inquit Plinius lib. 37. cap. 9. & Solinus cap. 33. Mittit autem hyacinthos & chrysolithos Aethiopia, India, Arabia. Arabes tres eius faciunt species: scilicet coloris rubei, citrini, & antimonij. Albertus eius duo genera facit: scilicet aquaticũ, quòd in flauo albescat, uel in rubeo aquescat. Deinde saphirinum, quod perlucidum & flauum ualde. Hinc dicimus hyacinthum saphirinum, cuius patria in Aethiopia. Vis est hyacinthi prouocare somnum, ualere contra toxica, exhilarare hominem, confortare cor. Reliqua quæ plus quàm magica mihi uidentur, omitto. De hyacinthizonte paulo pòst dicemus, in capite Berylli. Cæterùm hyacinthũ ueteres astrologi dicarunt Ioui.

DE CHRYSOLITHO,
Cap. LXIIII.

CHrysolithũ gemmam unà cum hyacintho mittit Aethiopia, etc. aureo colore translu

centem. unde & nomen habet, teste Plin. lib. 33. capite 9. & 12. Solinus in Polyhistore eandem cap. 33. chrysolampin uocare uidetur, quam Plin. eod. lib. cap. 10. in Aethiopia nasci dicit, pallidi coloris die, & noctu ignei. Sic Albertus chrysolithum aurei coloris gemmam horis matutinis dicit pulcherrimam apparere: in alijs horis nõ adeò formosam, & sibi dißimilem. corrumpiq; eam, & fugari ab igne, quia ab illo inflammetur. Facit autem idem eius species esse marchasitam auream quam uocat, & alium lapidem coloris cœrulei, & rubei. Vis chrysolithi est, bonos excitare spiritus, melancholiæ aduersari, lemuribus nocturnis, curare scabiem & ulcera, mitigare calorem febris. Ouidius 2. Metamor. ex chrysolitho fingit currũ Solis pulcherrimè factum, cum inquit:

Aureus axis erat, temo aureus, aurea summæ
Curuatura rotæ, radiorum argenteus ordo,
Per iuga chrysolithi, positæq; ex ordine gemmæ,
Clara repercusso reddebant lumina Phœbo.

DE SMARAGDO, Caput LXV.

INter gemmas habet tertias smaragdus multis de causis. & quia nullius coloris aspectus est iucundior. Nam irrigua gramina, & herbas amicas, frondesq; amnesq; uirore superat. Deinde quia

solus

ſolus gemmarũ contuitu oculos implet, nec ſatiat: imò recreat obſcuratos aliarum rerũ aſpectu. Colligitq; uiſum. Cæterùm eius Plinius lib. 37. cap. 5. & Solin. cap. 20. duodecim facit ſpecies. Scilicet eſt ſmaragdus, qui & aliàs à Plinio dicitur in eodem lib. cap. 10. limoniates.

I. Scythicus, isq; nobiliſsimus, et nulli eſt maior auſteritas, nec minus uitij. is etiam nequit uulnerari, tanta illi eſt durities. licet nec reliqui poliuntur. Hunc gryphes cuſtodire ferunt.

II. Bactrianus, qui legitur in commiſſuris ſaxorum eteſijs flantibus. tunc enim tellure internitent. eteſijs flantibus mouentur harenæ, & ſolum detegitur.

III. Aegyptiacus, qui eruitur circa oppidum Thebaidis, in collibus & cautibus.

IIII. Cypriacus uarius & glaucus.

V. Atticus, minus pinguis, è lõginquo ſpecioſior. isq; reperitur & in argentarijs fodinis.

VI. Aethiopicus. cuius ſpecies ſunt hermiones extumeſcentes, & perſici iucundi tenoris.

VII. Medicus plurimæ uiriditatis, interdum & è ſaphiro.

VIII. Carchedonius, qui & Chalcedonius, & ſmaragdites dicitur.

IX. Tanos è Perſis ueniens.

X. Sicilicus.

XI. Lacon-

XI. Laconicus, similis medico.

XII. Chalcosmaragdus è Cypro æreis uenis. Sunt & pseudosmaragdi.

Reperiuntur & pro parte dimidia smaragdi, & altera parte adhuc iaspide existente, nondum humore in totum trãsfigurato. Finguntur & smaragdi ex crystallo. lauantur austero mero, delectantur uiridi oleo. Postrema eius genera reperiũtur in fodinis ærarijs, etiam apud nos. Albertus & in Scotia & Britannia reperiri testatur. & nasci in uenis æris, nonnunquam in scopulis sub aqua maris. Cæterùm smaragdi alij sunt obscuri, quos cæcos dicunt. alij sunt densi, nec translucidi. alij scatent nubeculis. in alijs sunt capillamenta, sales, plumbago, & alia uitia. Optima in his figura est planicies, ubi una pars non coumbrat alteram. & optimus, qui nec umbra nec lumine uariatur. Ad ostiũ Tangræ in tẽplo arcis smaragdi cõspiciũtur ingentes et preciosi. Vis smaragdi est, aduersari ueneno, et uenenatis. Ferunt si oculus uenenati alicuius animalis rectò aspexerit illũ, obcæcari. Præseruat porrò gemma illa ab epilepsia, sanat lepram, confortat uisum, memoriam, retinet coitum, & rumpi fertur in coitu digito gestatus. Nota & quod à ueterib. astrologis dedicatus est smaragdus Mercurio. Postremò notandum est & hoc, quòd prasinum lapidem, seu gemmam, quæ interdũ rubeis, interdum albis

albis guttis reperiatur, matrem seu palacium esse smaragdi uolũt, cuius species sit chrysoprassus, guttis aureis existens. Sed chrysoprassum berylli inter species enumerant Plinius & Solinus. Cæterùm de prasio consule eundem Plinium libro eodem, capite octauo. Pro smaragdo iam adfertur lapis armenius. de quo suprà libro 2. mentionem fecimus.

DE BERYLLO, Caput LXVI.

EAndem aut similem naturam cum smaragdis berylli habent, in India originem habentes, & raró alibi reperti. poliuntur omnes sexangula figura, ne color sordescat, sed repercussu angulorum excitetur. Sunt autem berylli uariæ species, scilicet:

1. Probatißimi sunt, qui imitantur uiriditatem puri maris, interuirente glauci & cærulei temperamento.

2. Proximi his chrysoberylli, paulo pallidiores, in aureum colorem exeunte fulgore. languidius micant, & aurea nube circumfunduntur.

3. Chrysoprasus, his præcedentibus pallidior. trahit mixtam lucem ex auro & porraceo. hunc propter guttas aureas in coagulato quasi succo porri, speciẽ prasij fecere, ut in præcedentibus dictum.

4. Hyacinthizontes, qui referunt propè hyacinthos, & ipsos probant.

5. Heroides.
6. Cerini.
7. Oleagini, coloris olei.
8. Crystallis similes. hi habent sordes, pterygia, sales, capillamenta.

Berylli & circa Pontum reperiũtur. & Indi, qui præcipuè delectantur beryllis, eos adulterãt, imbuendo crystallos. Cæterùm beryllus facere dicitur ad amorem, curare oculos & epar, & ructus, extenuare spiritus: soli expositus, incendere ignem. Consule de beryllo Plinium lib. 37. cap. 5. Solinum in Polyhistore, cap. 55. Albertũ in suo Lapidario.

DE HELIOTROPIO, Caput LXVII.

Heliotropium gẽma, nascitur in Aethiopia, Aphrica, Cypro, porracei coloris, smaragdo similis, sanguineis tamen distincta est guttis. Heliotropium uerò dicunt, quia deiecta in uas aqua, fulgorem solis accedentem, percussu sanguineo mutat, maximè Aethiopica. eadem extra aquam speculi modò solem accipit, deprehenditq; defectus, subeuntem lunam ostendens. Magorum impudentia heliotropiũ ualere dicit, unctum succo herbæ eiusdem nominis, ne gerens illam conspiciatur. Hanc et reddere diuites, & homines bonæ famæ, ualere contra uenena, & fluxus sanguinis. uide Plin. lib. 37. cap. 10. & Albertum in suo Lapidario.

DE

DE OPALO, Caput LXVIII.

Opali mater propriè est India. Estq; gemma preciosa, utpote in qua carbunculi tenuior appareat ignis, et amethysti fulgens purpura, smaragdi uirens mare. Habet & hæc quoq; certas species. Alij opalorũ æquant colores pigmentorũ, alij sulphuris ardẽtem flammam, alij ignis olei accensi. Magnitudo eius nucis auellanæ. Sunt & opali certa uitia, si color eius exeat in crystallũ uel grandinem, aut in heliotropij herbæ florem, si sal aut scabricia, aut alia oculis occursantia illi insint. Illam ipsam gemmam propter gratiam eximiam uocarunt pæderotam, et priuatum eius genus sangenon Indi dicunt. Tradũtur & opali nasci in Aegypto, Arabia, et in Ponto, sed hi uilißimi: Galatia, Thaso, Cypro, sed hi mollius nitent & sunt scabri. uide Plinium lib.37.cap.6.

DE MOLOCHITE, Caput LXIX.

Molochites gemma est non translucens, spißius uirens quàm smaragdus, à colore maluæ nomine accepto. contra omniũ infantiũ pericula singulari dynami ualet. mittit eam Arabia. In tẽplo ad ostiũ Tangræ, in arce, molochites cõspiciũtur mediocris magnitudinis. Vide de molochite

Plinium lib.37. cap.8. Solin. in Polyhiſt. cap.36. Albertum & Euacem in Lapidarijs.

DE TOPAZIO.

Caput LXX.

TOpazion gemma inuenta primum eſt in inſula Chiti Arabiæ, cum prædones preſsi diutius fame & tempeſtate, herbas radicesq́; effoderent. Aut topazion dicitur, ab inſula rubri maris nebuloſa, quam cum ſæpius nauigantes quærerent, dixere eam propterea topazion. (Topazin enim lingua Troglodytarum ſignificat quærere) ex hac enim inſula, teſte Plinio libro triceſimoſeptimo, capite octauo, gemma hæc primum allata eſt Berenicæ reginæ Aegypti. Sunt tamen qui topazion & in Thebaide naſci dicant. ſicuti in Hungaria ſpecies eius pallens reperitur. In noſtris fodinis inueniuntur & fluores, coloris lutei, haud diſsimiles topazijs. Plinius topazij duo facit genera, ſcilicet: praſoin & chryſepteron, ſimilem chryſopraſio, cuius tota ſimilitudo ad ſuccum porri dirigatur. Albertus & Euax, item & alij, unam eius ſpeciem ſimilem dicunt auro: alteram croceo colore ſuperare aurum. Dicunt uim illis ineſſe contra libidines, reddere eos homines caſtos & animatos.

DE IASPIDE, Caput LXXI.

IAſpis à Germanis ein iaſp, lapis ſeu gemma eſt multarum ſpecierum. Nam Dioſcorides eius

ſeptem

septem enumerat species, scilicet: est iaspis uiridis smaragdo similis. Secundò iaspis est similis crystallo, colore pituitam imitans. Tertiò est iaspis non dißimilis aeri. unde dicitur aerizusa. Quartò est iaspis quasi fumo infecta, quæ dicitur capnias. Quinto iaspis est lineis albis & resplendentibus præcincta, appellata aßyrios. Sextò, est iaspis similis terebinthinæ, quæ dicitur terebinthizusa. Septimò, est iaspis æmula gemmæ callaidis. de qua suprà capite quadragesimooctauo. Sunt omnes amuleta, & accelerant partum appensæ femoribus, secundum Dioscoridem. Plinius libro tricesimoseptimo, capite octauo, & nono, plurimas species, propter colores, patriam, & bonitatem iaspidis enumerat, quarum nonnullas hoc loco addemus.
Primum, secundum Pliniū, est iaspis uiridis translucens, similis smaragdo Indicæ, quam gentes plurimæ ferunt. Hanc totus Oriens pro amuleto habet, & è petra cum per transuersum linea alba præcingitur, dicitur grammatias, & polygrammos à pluribus. Secundò iaspis est Plinio glauca pinguis in Cypro. Tertiò est iaspis aeri similis in Persia, propterea talis dicitur aerizusa: & à Græcis boria, quia cœlo autumnali matutino similis. Quartò iaspis est cærulea, circa amnem Thermodoontem. Quintò est iaspis purpurea in Phrygia. Sextò est ex purpureo, cærulea, non refulgens, in Cappa-

docia. Septimò est iaſpis ſimilis Indicæ in Thracia. Octauò est iaſpis turbida in Chalcide. Nonò est uiolacea in Sardis. Decimò est ſimilis cryſtallo, aut phlegmati. Optima autem iaſpis ſecundum eundem Plinium, est quæ purpurea, aut roſæ ſimilis, uel ſmaragdo. Meminit autem Plinius L. C. & onychipunctæ gemmæ, quam uocant iaſphonychem: quæ quaſi nubem complexa, imitando niuem, ſtellata rutilis punctis, ſimilis ſali Megarico est: & ueluti fumo infecta, capnias dicitur. Hanc uerò onychipunctam Dioſcorides ſimpliciter enumerat inter iaſpides. & Plinius L. C. & à Theophraſto, & à Dioſcoride diſcrepare nonnihil uidetur. Sed hæc relinquamus me longè doctioribus excutienda.

Iaſpidis proculdubio & est ſpecies gemma illa tanti precij iam apud nos, quæ dicitur turchus, uel, ut uolunt, turchoys, eyn turckes. coloris ad cæruleum tendentis: nonnunquam flaui, nitidi, candidi, ac ſi lac penetraret in colorem flauum. cuius uim uolunt eſſe, quòd confortet uiſum, & præſeruet à uarijs caſibus. Nos quoque in Germania iaſpidis ſpeciem pulcherrimam habemus, ſpadicei coloris, caſtaneen brauhn, immenſi effectus. & reperitur circa Ienam in Thuringis, Aldenburgi in Miſnia, & alijs locis. Scio ego urbem Miſniæ, ubi tali iaſpide precioſo utuntur pro ſilice

ad ignem

ad ignem excutiendum. O sancta simplicitas Germanorum. Hanc enim iaspidem contra sanguinem & fluxum menstruorum præsentissimè ualere expertus sum. Idem iuuat & partum, & tegit conceptum. Cætera quæ Albertus & alij scribunt de iaspide, quomodo faciat ad gratiam & amorem, magica esse credo, quæ tu ipse legere poteris.

DE SAPHIRO, Caput LXXII.

Saphirus lapis à Germanis dicitur ein saphyr. Vicina species iaspidis, de qua consule Dioscoridem L. C. & Plinium libro tricesimoseptimo, capite nono. Estq; lapis aureis punctis collucens, cuius aliæ species sunt cæruleæ, aliæ mixta purpura. Optimæ apud Medos, nusquam perlucidæ: aliæ inutiles scalpturæ, interuenientibus crystallinis centris. aliæ coloris cyanei, quæ mares saphiri æstimantur esse. Albertus saphirum dici ait & lapidem siriten, quia in littoribus, ubi sirtes, inueniatur. Orientalem tamen & Indiacam esse optimam prædicat, & huius speciem aliam esse coloris perspicui, cœli serenati, in qua uincat quasi flauus color. aliam uerò habere nubes obscuras, ad rubedinem declinãtes. Aliam nubeculas habere econtra albas. Cæterùm saphiri uirtutẽ uolunt esse, reddere hominem castum, pium, stabilem. utimur hodie

& saphiro in corde confortando, et in corpore interiori refrigerando. Vnde uetus hoc carmen loquitur: Corporis ardorem refrigerat interiorem Saphirus, & Cypriæ languida uota facit. Veteres astrologi saphirum dicarunt Veneri.

DE LAPIDE CORNEOLO, Caput LXXIII.

Cornelius, uel corneolus potius, gemma seu lapis, cuius patria Italia litoralis, & nunc Germania. Reperitur enim, teste Alberto, ad Renum. nota est gemma à Germanis propter sigilla annulorum, quæ crebrò fiunt ex illa. diciturq; eyn corneol. mihi propemodum species iaspidis esse uidetur. Sed cornelius lapis alius est insignis rubedine, alius remißior, coloris carnis. unde à nonnullis dici eum uolunt corneolum. alius insignitus candidis pinnulis, alius candidis lineis. alius omnino obscurus in rubedine, alius multũ nitet sicuti minium. Cæterùm corneoli uis est, stringere sanguinem, sistere menses, hæmorrhoidas. Fertur & mitigare iras, abstergit in dentifricio dentes.

DE AMANDINO LAPIDE, Caput LXXIIII

Lapis seu gemma amandina coloris est uarij. extinguit hæc omnia uenena, & reprimit. quare non est gemma contemnenda. de qua consule Albertum.

DE LAPIDE DIONYSIO, Caput LXXV.

Dionysius lapis, seu dionysias gemma, à Baccho nomẽ habẽs, est gẽma nigra, seu fusca, dura, mixta seu sparsa rubentib. maculis, guttulis, seu notis, quæ trita ex aqua saporem uini & odorem facit. unde resistere fertur ebrietati, quia resoluit & expellit uapores à quibus fit ebrietas. Gemma preciosa. de qua consule & Plin. lib. 37. cap. 10. Solinum in Polyhist. cap. 40. Albertum in suo lapidario, & alios.

DE MEDEAE GEMMA, Caput LXXVI.

De lapide medo, qui adfertur à regione Medorum, nigro, succi cum teritur crocei, suprà egimus de hæmatite. hoc autem loco agendum nobis est de lapide Medeæ, seu gemma Medeæ. Est aũt gemma media seu medea sic dicta, quia reperta primum est à Medea uenefica. estq́; nigra, habẽs uenas aurei coloris, reddens succum croceũ, et saporẽ uini, immẽsi effectus contra ebrietatẽ, & ad amorẽ conciliandũ, ut ferunt magi. Hæc proculdubio species est lapidis Medi et hæmatitis nigri, qui reddit succũ croceũ. Reperitur et apud nos in Cheruscis, ubi ipse etiam hæmatites niger: licet uenæ eius non adeò sint coloris aurei, sed pallent. Cæterùm consule de Medeæ gemma etiã Plin. lib. 37. cap. 10.

DE SILICE, Cap. LXXVII.

Silex lapis, à Germanis eyn kyßling, oder kyselsteyn. uulgo notus est, q̃a eo utimur in igne excitando. unde & nomen habet. & silex dicitur, quasi ex eo saliat ignis. hinc & eyn feürsteyn communi nomine etiã à Germanis dicitur: quamuis hoc nomen conuenit et pyriti, ut suprà docuimus. & cũ Plinio pyrites genus est, & nõ species, imò omnis lapis unde excitatur ignis, silex eidem erit pyrites ab effectu. Est autem silex primum duplicis speciei, scilicet:

I. Calculus seu scrupulus, qui uerè silex à Germanis eyn kysel oder kyselsteyn dicitur. Reperitur ad flumina, & inter arenas, ad torrentes interdũ coloris candidi: cuius usus etiã est ad alia quàm ad ignẽ excitandum. Interdũ coloris flaui, impuri, nonnunquam crocei. Interdum coloris nigri, nõnunquam lineis candidis pulcherrimè insignitus.

II. Saxum, quod cornutũ dicunt, à Germanis eyn hornsteyn. quia habet colorẽ cornu, uel refert quoddam cornei durißimum. cuius partes interdũ sunt continuatæ, ut unã ab altera uisus discernere nequeat. Interdum partes eius sunt conspicuæ aliqua intersectione. & dicitur à Germanis uulgo eyn feürsteyn. quia illo potißimũ ignis excutitur. Reperitur in fodinis, item ad flumina: ut ad Albim, in agris in Saxonia, in cuniculis calculorum.

Est

Est uerò uariarum specierũ: scilicet 1. coloris candidi. 2. coloris nigri. 3. cœrulei. 4. ruffi. 5. purpurei. 6. referens colorem cornu. 7. flaui. 8. crocei. 9. liuidi. 10. foris candidi, intus nigri. Variarum proportionum: longi, lati, magni, parui, ramosi in modum coralliorum. Reperiuntur & in modum cornu. Ego ad Albim, loco suprà descripto, silicem talem inueni, tanquam serpentis caput fuisset, insignitum ore, dentibus, oculis, coronula. Item & qui referebat turribus arcem munitam: item alium, qui integrum montem. Exercet et natura in tam durißimo lapide suas impreßiones. Silicem enim eodem in loco inueni, in quo uestigia lupi uel leonis circa dimidiam rosam in superficie lapidis exaltatam, apparuere, quasi data opera ab artifice docto insculpta essent. Interdum aliarum rerum membra, & uultus. Interdum stellæ, literæ in illis apparent: adeò natura non est ociosa. De aetite prægnante, cum silice à me reperto, suprà dictum est.

DE COTE,
Cap. LXXVIII.

Ακόνη cos, hinc aconitum herba quæ cautibus nascitur, nomen habet. Est autem cos lapis, quo cultri acuuntur, aliaq; instrumenta. Germani uocant Wetzsteyn, oder schlyff. Huius apud nos uariæ sunt species: coloris nigri, candidi, flaui, nigerrimi.

nigerrimi. Dioscorides li. 5. cap. 93. cotem Naxiam prædicat, & recitat uires materiæ, quæ deteritur exacuendo ferro, deß schlyffs. Sic species cotis est, quam aliàs uocant lapidem heracleum, & lydiũ, probierstein: qui notus aurifabris, & dicitur coticula. cuius Plinius mentionem facit lib. 33. cap. 8. Est et species cotis lapis ille qui eruitur in Misnia, quo utuntur nunc compactores librorum. Sic cotis est alia species uiridis, quæ dicitur cos ocularis, quia in ea fricantur sieff oculorum: uel cos olearia uel olearola, quia oleo insperso acuuntur in ea instrumenta ferrea. Sunt & aliæ eius species, quæ tu ipse huc referre poteris.

DE SMYRITE, Cap. LXXIX.

SMyris lapis est durißimus, & asperrimus. Germani uocant schmergel. Annularij scalptores, & alij artifices eo lapides expurgant, & nunc scindunt certo artificio cum illo ipsi alios lapides. Hunc Dioscorides utilem dicit ad erodendũ & urendum: & conuenire gingiuis ulceratis, & dentifricio.

DE VMBILICO VENERIS, Caput LXXX.

VMbilicus Veneris hoc in loco est lapis, seu gemma, coloris interdũ rubei aut candidi, aut purpurei. Dicitur aũt umbilicus Veneris, quia

ab

ab altero eius latere cũ sit plana, ab altero quo eleuatur ductis lineis (ueluti in domunculis cochlearum) uentrem rotundum quasi pomum, & umbilicũ puellæ formosæ pro parte refert. Verùm Germani magis respicientes ad formam eius quam refert à latere eleuato, propemodum fabæ magnæ, deinde ad patriam eius ubi reperiatur, uocant eyn meerbonen, quasi fabã maris. Reperitur enim inter cochleas ad mare in littoribus. Hic umbilicus Veneris dicitur conciliare gratiam puellis, & plurimum facere ad formam & amorẽ, deinde ad morbos puellarum. Nostræ matronæ tales fabas marinas, & Veneris umbilicos iam pueris suis pro amuleto cælatos argento & auro, appendunt, & magni æstimant.

FINIS.

3 fl

